123.2
S.U 67

OPUSCULA ET TEXTUS

HISTORIAM ECCLESIAE EIUSQUE VITAM ATQUE DOCTRINAM ILLUSTRANTIA

SERIES SCHOLASTICA

EDITA CURANTIBUS

M. GRABMANN ET FR. PELSTER S. J.

FASC. V

THOMAE DE SUTTON O. P.

QUAESTIONES DE REALI DISTINCTIONE INTER ESSENTIAM ET ESSE

SECUNDUM FIDEM MANUSCRIPTORUM PRIMUM EDIDIT

FRANCISCUS PELSTER S. J.

MONASTERII 1928

TYPIS ASCHENDORFF

THOMAE DE SUTTON O. P.

QUAESTIONES DE REALI DISTINCTIONE INTER ESSENTIAM ET ESSE

SECUNDUM FIDEM MANUSCRIPTORUM
PRIMUM EDIDIT

FRANCISCUS PELSTER S. J.

ALMA COLLEGE
123.2
LIBRARY
Su87
Alma, California

MONASTERII 1928
TYPIS ASCHENDORFF

27335

Cum facultate superiorum ordinis.

Imprimatur.

Monasterii, die 3. Septembris 1928.

Vicarius Episcopi Generalis
De mand.
Peters
Cons. eccles.

No. 5450

Druck der Aschendorffschen Buchdruckerei, Münster i. W.

Introductio.

1. Thomas de Sutton, ex provincia Angliae ordinis Praedicatorum, videtur natus esse circa annum 1260. Eius nomen primum occurrit circa a. 1285, quo tempore studens fuit Oxoniae et a. 1292/93, quo anno ibidem in ecclesia Praedicatorum sermones ad scholares habuit. Extant autem hi sermones in cod. Q. 46 Cathedralis Wigorniensis (Worcester) et in cod. 92 Collegii Novi (New College) Oxoniensis. Thomam tunc temporis theologicis studiis vacasse vel etiam baccalarium fuisse multum probabile est. Magister regens in schola Praedicatorum eo anno fuit Thomas Jorz, postmodum cardinalis, cancellarius autem totius universitatis magister Simon de Gandavo. Circa annum 1298, ut ex cod. Q. 99 Cathedralis Wigorniensis elucet, ipse Oxoniae cathedram magistralem sui ordinis tenuit; quo tempore apud Minores Johannes de Bassat rexit et inter magistros seculares Richard de Clive, Roger de Wesenham, W. de Hikham, Kirkeby, Segrave nominantur. Sub eo Guillelmus de Macklesfield O. P. in vesperiis disputavit et magister factus est. Post aliquos annos denuo Oxoniae munus magistri subiisse videtur. Mortuus est post annum 1311, quia in scriptis suis mentionem facit Concilii Viennensis. Thomas Sutton inter asseclas, quos Thomas de Aquino, cuius doctrinam contra veterem scholam Franciscanam, contra Henricum de Gandavo, Johannem Duns Scotum, Robertum Cowton strenue defendit, in Anglia tunc habuit, primum locum obtinere videtur. Eminet ampla eruditione, clara expositione, solida doctrina. Ita tamen sequitur Thomam, ut non semel influxum subierit aliorum v. gr. Aegidii Romani, Godefredi de Fontibus.

2. Scripta Thomae de Sutton: Quaestiones disputatae et quatuor quodlibeta. Elenchum harum quaestionum, quae omnes, si unum alterumve textum excipias, non sunt editae, habes apud Ehrle in opere, quod in bibliographia enumerabitur. — Pro defensione doctrinae S. Tho-

mae scripsit contra librum primum et quartum Commentarii Oxoniensis Johannis Duns Scoti. Liber primus huius apologiae a. 1523 Venetiis apud Joannem Scotum typis mandatus est. Praeterea opus, quo Duns Scoti Quodlibet refutare conatur, manuscriptum habetur in Bibliotheca Collegii S. Magdalenae Oxoniensis. Alios tres libros elaboravit contra libros priores Commentarii in Sententias, quem fecerat Robertus Cowton O. Min. Ad defendendam unitatem formae composuit iunior duos tractatus: Unus Contra pluralitatem formarum ex parte extat inter opuscula S. Thomae, integer editus est a De Maria, Opuscula philosophica et theologica selecta S. Thomae Aquinatis, Tifani Tiburini 1886, I 393–436; alter De productione formae substantialis inter textus huius seriei edetur. Exposuit Aristotelis libros De caelo et mundo, cuius expositionis saltem pars in cod. 247 Bibliothecae Collegii Mertonensis Oxoniae conservata est. Etsi alii aliter sentiant, multum mihi probabile videtur Thomam scripsisse etiam Concordantiam quandam dictorum Thomae, quae incipit „Veritatis et sobrietatis verba loquor".

3. Ratio editionis. Cur textus ex quaestionibus et quodlibetis Thomae potius quam Henrici de Gandavo vel Aegidii Romani, qui saec. 13 in hac controversia de reali distinctione inter essentiam et esse primas partes obtinuerunt, selecti sint, ratio praecipua in eo est, quod Thomas statum quaestionis et omnia fere argumenta, quae iis temporibus ab utraque parte proponebantur, ita exponit ut brevior atque interdum etiam clarior sit quam isti auctores. Ipse de hac materia initio paulo aliter sensit quam postea. Cum iuvenis magister Quodlibeto 1 q. 17 controversiam magis verborum quam sententiarum diversitate contineri censeret, postea tamen, sub influxu Aegidii Romani, ut videtur, omnino realem illam distinctionem propugnavit. Notandum est tamen, ut ex ipso textu elucebit, Thomam non quoad omnia explicationem et argumenta Aegidii sua facere.

Textus ipse quaestionis disputatae ope trium manuscriptorum, quodlibeti ope duorum quae extant manuscriptorum constitutus est. Sunt autem haec: Cod. 138 Collegii Merton, Oxoniae [membr. ff. 338 (2 col.) 31,4×22,3 cm saec. 14 ff. 310^{v}—314^{r}], Cod. B IV 4 Bibliothecae Universitatis, Basileae [membr. ff. I+191 (2 col.) 34,5^{2}×25 cm saec. 14 ff. 71^{v}—74^{r}], Cod. Amplonianus Fol. 369 Bibliothecae Munici-

palis, Erfordiae [membr. ff. 200 + I (2 col.) 29×19,5 cm saec. 14 in. (ff. 1—92^{v}) saec. 14 ex. (ff. 93^{r}—200^{r}), ff. 25^{v}—27^{v}]. Codex Amplonianus quodlibeta non continet. Inter haec manuscripta eminet Cod. Mertonensis ita tamen, ut nec ipse suis erroribus careat; est fundamentum editionis. Cod. Basileensis, etsi multo magis vitiatus sit, nihilominus pluries correctioni alterius codicis inservit. Codex Amplonianus habet quidem textum satis correctum, sed saepius paululum abbreviatum et mutatum. Cum propter paucitatem manuscriptorum, quae extant, saepe de textu primigenio nihil certi effici posset, in illud intendi, ut ante omnia textum correctum constituere conarer. Quia autem Codex Mertonensis hac re eminet, cum Amplonianus certo mutationes subierit, lectionem variantem, quae communis erat Mertonensi et Basileensi, in textum ipsum recepi. Hinc inde tamen, quando Basileensis et Amplonianus, qui inter se satis differunt, contra Mertonensem concordant, illos secutus sum. Ceteroquin nullo modo in mente est affirmare lectionem electam semper esse veram aut certo probabiliorem. In notis non solum illos auctores, quos explicite refert Thomas, indicavi, sed quantum potui etiam illos qui sub formula ‚quidam' latent. Hac in re in memoriam revocare oportet nomine plurali saepissime unum auctorem designari.

4. De quaestione, quam Thomas disceptat, pauca hoc loco dici possunt. Initium sumpsit ab interpretatione quorundam locorum, qui inveniebantur apud Boethium De hebdomadibus et Hilarium De Trinitate, apud Avicennam in sua Metaphysica et in Libro de causis. Verum est hanc distinctionem inter quod est et quo est vel inter quod est et esse, uti tunc vocari solebat, iam adhiberi a Philippo Cancellario (de Greve † 1238) in sua Summa de bono, a Johanne de Rupella († 1245) in Summa de anima, ab Alberto Magno in Libro sententiarum et in Summa de creaturis (c. 1245) eamque impugnari a Richardo Rufo in Libro sententiarum (c. 1250), sed non semel difficillimum est determinare, quid iisdem terminis, qui sensu omnino diverso usurpabantur, intellexerint et de quanam distinctione, utrum de reali an de intentionali, loquantur. De doctrina S. Thomae hac in re non est una sententia. Dubium inde facile oriri potuit, quod Thomas ipsam quaestionem in terminis nullibi proponat et praeterea omnes illos terminos atque omnes comparationes, quae apud alios multiplici sensu eo-

que saepe maxime diverso occurrebant, recipiat iisque sua propria cogitata exprimat. Plurimi interpretes iis locis innixi, qui magis realem distinctionem inter essentiam et esse suadere videntur, Thomam inter asseclas huius distinctionis enumerant. Horum tamen interpretationi duo maxime obstant: Primo Thomas asserit in angelis naturam et suppositum concrete spectatum, ad quod esse omnino pertinet, ratione quidem distingui, re autem identificari (Cf. De pot. q. 9 a. 1; S. th. I q. 3 a. 3). Deinde in Commentario ad l. 4 Metaphysicae lect. 2, ubi quaestionem magis ex professo proponit, iterum iterumque asserit et duobus argumentis probat hominem et ens hominem secundum suas formales rationes esse unum re, differre autem ratione; nomina rei et entis significare omnino idem sed secundum diversas rationes; substantiam rei esse unam et ens per se ipsam et non per aliquid additum; etsi aliud sit [sc. secundum rationem] esse rei ab eius essentia, nomen tamen entis, quod imponatur ab ipso esse, significare idem cum nomine, quod imponatur ab essentia. Difficultas eo maior fit, quod inde ab ipsis temporibus S. Thomae haec eadem argumenta ex Aristotele et Averroe sumpta praecipua arma sunt, quibus adversarii realem illam distinctionem impugnarunt. Quare alii interpretes potius censent Thomam negasse illam distinctionem. Adhuc sub iudice lis est.

Quaestio vehementius agitari coepit post ipsam mortem S. Thomae. Ex una parte Sigerus de Brabantia, Henricus de Gandavo, Riccardus de Mediavilla, Godefredus de Fontibus, Petrus de Alvernia innixi potissimum argumentis Averrois negarunt distinctionem inter esse et essentiam esse realem. Inter eos fuit autem quaedam differentia, cum Henricus et post eum Riccardus introducerent distinctionem suam secundum intentiones, cum tamen Sigerus et Godefredus admitterent solummodo distinctionem quandam secundum modum significandi. Alterius partis dux et antesignanus fuit Aegidius Romanus, qui pluribus scriptis contra Henricum hanc distinctionem strenue propugnavit. Eum secutus est in oppugnando Henrico Robertus de Colletorto sive de Orford O. P. Post eum autem scripsit Thomas de Sutton, qui quidem Henricum et Godefredum ita impugnat, ut ab Aegidii explicatione et argumentis paululum deflectat. Videtur etiam alludere ad unum alterumve alium adversarium, cuius tamen nomen adhuc latet.

5. Bibliographia. De vita et scriptis Thomae de Sutton vide: M de Wulf, Histoire de la Philosophie Médiévale, Louvain 1925, II 44—47.

Überweg-Geyer, Die Patristische und Scholastische Philosophie, Berlin 1928, 542 sq.

F. Ehrle, Thomas de Sutton, sein Leben, seine Quolibet und seine Quaestiones disputatae: Festschrift Georg von Hertling, Kempten-München 1913, 426—450.

F. Pelster, Thomas von Sutton O. Pr., ein Oxforder Verteidiger der thomistischen Lehre: Zeitschrift für kath. Theol. 46 (1922) 212—253, 361—401.

Idem, Schriften des Thomas von Sutton in der Universitätsbibliothek zu Münster: L. c. 48 (1923) 483—494.

J. Koch, Durandus de S. Porciano: Baeumker Beiträge 26 I, Münster 1927, 153 sq. 369—374.

De quaestione controversa eiusque valore videsis praeter nota compendia philosophiae ut Schiffini, Mercier, Hugon, Remer, Gredt, La Housse, Urraburu, Frick, Lehmen, van de Woestyne ampliorem expositionem apud plures auctores v. gr.:

J. a S. Thomae, Cursus Philosophicus Thomisticus. Philosophia Naturalis p. 1 q. 7.

Fr. Suarez, Metaphysicae disputationes disp. 31 tota.

J. M. Piccirelli, Disquisitio metaphysica, theologica, critica de distinctione actuatam inter essentiam existentiamque creati entis intercedente, Neapoli 1906.

N. Del Prado, De veritate fundamentali philosophiae christianae, Friburgi Helvetiorum 1911.

Chr. Pesch, Ist die Annahme eines sachlichen Unterschiedes zwischen Wesenheit und Dasein in den Geschöpfen das notwendige Fundament der ganzen Philosophie und der spekulativen Theologie: Scholastik 1 (1926) 11—49, 216—234.

De historia problematis agunt: P. Duhem, Le Système du Monde V, Paris 1917, 285—316.

M. Grabmann, Doctrina S. Thomae de distinctione reali inter essentiam et esse ex documentis ineditis saeculi XIII illustratur: Acta Hebdomadae Thomisticae, Romae 1924, 131—190.

M. D. Roland Gosselin, Le De ente et essentia, Le Saulchoir, Kain 1926.

Ex scriptoribus saeculi 13 exeuntis, quorum

opera typis mandata extant, imprimis nominandi sunt: Henricus a Gandavo, Quodlibeta Venetiis 1613. Q. 1 q. 9; Q. 10 q. 7; Q. 11 q. 3.

Aegidius Romanus, Quaestiones de esse et essentia, Venetiis 1503, q. 9—12.

Idem, Sententiarum l. 1, Venetiis 1492, 1521, d. 8.

Idem, Quodlibeta, Venetiis 1502, Q. 1 q. 7.

Godefridus de Fontibus, Quodlibeta, Louvain 1904. Q. 3 q. 1. Praeterea: Sigerus de Brabantia, Utrum ens vel esse in rebus causatis pertineat ad essentiam causatorum vel sit aliquid additum essentie illorum; apud M. Grabmann, Neuaufgefundene Quaestionen Sigers von Brabant zu den Werken des Aristoteles: Miscellanea Francesco Ehrle, Roma 1924, I 133—138.

Riccardus de Mediavilla, Sententiarum l. 2, Brixiae 1591, d. 3 a. 1 q. 1.

Idem, Quodlibeta, Brixiae 1591, Q. 1 q. 8.

Petrus Johannis Olivi, Quaestiones I, Ad Claras Aquas 1922, q. 8.

Signa codicum: M = Mertonensis 138, B = Basileensis B. IV 4, A = Amplonianus Fol. 359

Quaestio Disputata XXVI[a].

M 310vβ
B 74rα
A 25vα

Secundo queritur utrum in angelo sit realis compositio essencie et esse existencie, ita quod esse illud sit extra racionem essencie aliquid absolutum additum essencie.

1 Et arguitur quod non: Priscianus capitulo De constructione verborum[1] dicit quod „infinitum significat ipsam rem, quam continet verbum. Currere enim est cursus per significationem, scribere scriptura. legere leccio.“ Eadem ergo racione esse significat esssenciam.

2. Preterea: idem Priscianus[2] dicit quod hoc verbum ‚est‘ significat substantiam uniuscuiusque. Sed substancia est essencia. Ergo esse significat essenciam, et ita non est extra intellectum essencie.

Dicebatur quod Priscianus[3] loquitur de modo significandi, non autem de re significata, quam verbum significat.

3. Contra: verbum quodcunque sive infinitivi modi sive alterius modi significat agere vel pati quan-

---

2 Secundo queritur *om A* 3 existencie] essencie *B* 6 et *om A* de capitulo *M* 9 per] propter *A* et scribere *M* 12 Prîscianus] post *A* 14 est] esse *B*

[1] Institutiones Gram. l. 18 c. 43; ed. Hertz, Lipsiae 1859, II 226.
[2] L. c. l. 18 c. 2; ed. Hertz II 210 cf. 212, 226.
[3] L. c. l. 18 c. 43—44; ed. Hertz II 226 sq.

tum ad modum significandi, etiam hoc verbum ‚est' [1]. Si ergo hoc verbum ‚est' significat substanciam, non potest hoc intelligi quod significat per modum substancie, sed oportet hoc intelligere principaliter de re significata quod hec sit substancia.

4. Preterea: in hoc distinguitur verbum a nomine et pronomine quod tam nomen quam pronomen significat per modum substancie, verbum autem per modum motus. Si igitur ‚est' significat per modum substancie, non est verbum, sed nomen vel pronomen; quod falsum est.

5. Preterea: esse est illud quo res dicitur formaliter ens. Sed unumquodque dicitur ens formaliter
M 311rα || per suam essenciam, sicut probat Philosophus 4^{0} Methaphisice [2]. Ergo esse non est aliquid additum
B 74rβ essencie faciens composicionem || cum ea.

Dicebatur quod unumquodque per suam essenciam formaliter dicitur ens, non tamen dicitur per essenciam existens; per esse vero unumquodque dicitur existens, non tamen ens, nisi ens accipiatur participialiter, idem sc. quod existens.

6. Contra: unumquodque dicitur existens per aliquid formaliter; ergo per aliquam formam. Esse ergo, quo aliquid dicitur existens, erit forma aliqua. Sed non est forma accidentalis, qua angelus dicitur existere. Ergo est forma substancialis. Sed forma

---

2 Si—substanciam] significat substanciam *M* 4 intelligere de re significata principali *A* 7 quod] quia *A* 8 per$_2$ *om A* 16 ea] ipsa *B* 20 accipitur *A* 21 particulariter *B* participative *A* 24 ergo] igitur *M* existens] ens *B* erit] est *M* 26 est forma substantialis. Sęd *om BA*

[1] L. c. l. 8 c. 1; ed. Hertz I, 369: Verbum est pars orationis cum temporibus et modis, sine casu, agendi vel patiendi significativum.

[2] Met. l. 4 (*Γ*) c. 2 1003 b 26—30; versio lat. l. 4 co. 3; Thom. l. 4 lect. 2.

substancialis angeli est sua essencia. Ergo esse eius non est aliud ab essencia.

7. Preterea: si esse est aliud ab essencia, ergo est alia res. Sed omnis res est essencia aliqua. Ergo esse angeli est alia essencia ab essencia angeli; quod est inconveniens. Ergo vel est idem cum essencia vel oportet ponere in angelo duas essencias substanciales; quod est absurdum.

8. Preterea: si esse est aliud ab essencia quacunque, quero, si esse sit aliquid vel non. Si non sit aliquid, sequitur quod sit nichil, quia nichil et aliquid sunt contradictoria. Si vero sit aliquid, oportet quod sit aliqua essencia. Illa ergo essencia existit per aliquid formaliter. Aut igitur per seipsam aut per aliquod additum. Si per seipsam, ergo eadem racione quecunque alia essencia existit per seipsam formaliter. Si per aliquid additum, erit procedere in infinitum, ita quod infinita requirantur ad hoc quod aliquid existat; quod est impossibile.

9. Preterea: si esse importat actualem existenciam, que est aliud ab essencia, aut inportat illud aliud sc. illam actualitatem de principali significatione aut de modo significandi. Si de principali significacione, cum idem significat esse et fuisse et fore, tunc dicendo ‚a erit' significatur ipsum actualiter existere sicut dicendo ‚a est'; quod falsum est. Si autem illam actualitatem non inportat nisi de modo significandi sub presenti tempore, ergo essencia et esse non differunt nisi penes diversos modos significandi sicut abstractum et concretum, ut albedo et album. Et ita non faciunt realem composicionem.

---

2 est aliquid *A* 7 si angelis *A* 13 illa ergo essencia *om A* existens *BA* 22 illam actualitatem] actualem illam existenciam *A* significato *A* 23 significato *A* 25 a] angelus *A* 26 a] angelus *A* 27 de] ex *A*

10. Preterea: melius est ponere unum quam duo, quando omnia salvantur per unum. Sed ponendo quod esse non sit aliud ab essencia, sed quod sit unum salvantur omnia, que oportet salvari sc. quidquid potest salvari per ponentes quod esse sit aliud ab essencia. Quidquid sc. consequitur ad essenciam eciam consequitur ad esse. Ergo melius est ponere quod esse sit de essencia quam quod sit aliud ab essencia.

11. Preterea: unius produccionis est unus per se terminus. Sed produccio substancie per se terminatur ad formam sive essenciam. Unde forma est terminus generacionis. Terminatur eciam per se ad esse. Ergo cum non terminetur ad duo, sed ad unum terminum, esse et essencia non sunt duo, sed tantum unum [1].

Dicebatur quod licet esse et essencia sint duo, sunt tamen unius per se terminus produccionis, quia componunt unum, quod est terminus unus.

12. Contra: illud quod convenit composito ex duobus, secundum quod compositum est, non convenit alteri componencium per se accepto; sicut homini, ut compositus est, convenit quod sit animal, sed non convenit anime quod sit animal, sed quod sit pars animalis. Si igitur convenit composito ex essencia et esse quod sit terminus produccionis per se, secundum quod compositum est, non conveniet essencie quod sit per se terminus produccionis, similiter nec ipsi esse. Et ita forma non est terminus generacio-

---

2 posito *A* 4 scilicet *om A* 4—5 quidquid—ponentes] secundum ponentes *A* 6 scilicet consequitur] sic sc. sequitur *B*. sic sequitur *A* 8 de essencia] unum et idem cum essencia *A* 11 substancie] vere *B* 22 alteri] alicui *A*

[1] cf Met. l. c. p. 12.

nis, sed pars termini; similiter esse non est terminus generacionis, sed pars termini; quod est contra Philosophum[1]. Hec enim est vera: ‚forma est terminus generacionis'; esset autem falsa, si esset pars termini.

13. Preterea: predicamenta distinguuntur secundum diversos modos predicandi generales, quorum unus A 25vβ
non est reducibilis ad alium; sicut patet de substancia et quantitate [*adde* et qualitate], quia secundum substanciam predicatur illud quod pertinet ad essenciam subiecti, secundum quantitatem vero illud quod est mensura subiecti, secundum qualitatem vero id quod est disposicio subiecti. Si igitur per esse dicatur aliquid existens et hoc predicamentum neque est de essencia subiecti neque est mensura neque disposicio et sic de aliis, sequitur quod sit predicamentum per se. Et ita erunt plus quam || 10 predicamenta. M 311rβ

14. Preterea: omne quod est in rerum natura possibile intelligi, oportet quod contineatur sub ente. Si igitur esse sit aliquid intelligibile, continetur sub ente et ita vel erit substancia vel accidens. Sed non est accidens. Ergo relinquitur quod sit substancia et per consequens essencia.

15. Preterea: sicut se habet instans ad substanciam mobilis, ita se habet tempus ad esse eius. Ergo permutative: sicut se habet instans ad tempus, ita se

---

3 est$_2$] et *A* 8 alium] alterum *A* 12 qualitatem] quantitatem *M* 14 predicamentum] ipsum *A* 14—15 de essencia] de substancia neque essencia *M* 15 disposicio subiecti *A* 21 est *om BA*

[1] Aristoteles videtur potius contrarium dicere v. gr. Met. l. 7 (*Z*) c. 8, 1033 b 5—6, Thomas l. 7 lect. 7; versio lat. l. 7 co. 27. Palam ergo quod nec species fiat nec quodcumque oportet vocare in sensibili formam, nec eius est generatio ... Et quia generatio est eius quod fit, palam est quod nec generatio est forme, sed compositi.

habet substancia mobilis ad esse. Sed instans et tempus sic se habent, quod unum includitur in alio sc. instans in tempore. Ergo similiter esse includitur in substancia mobilis.

16. Preterea: Boecius in Libro de ebdomadibus [1] dicit quod diversum est ‚esse aliquid', quod non est esse simpliciter, et ‚esse in eo quod est', quia illic in primo significatur accidens, quando sc. dicitur de re aliquid quod non sit ens simpliciter, in 2^0 autem significatur substancia, sc. cum dicitur aliquid esse in eo quod est. Esse igitur actualis existencie significat substanciam.

17. Preterea: idem dicit Boecius [2] quod in „omni composito aliud est esse et quod habet esse". Sed omne simplex quod est, est idem cum eo quo est. Sed angelus est simplex. Ergo est idem cum suo esse.

18. Preterea: id quod est absolutum non potest advenire alicui de novo sine sui mutacione. Sed in sacramento altaris esse advenit illis speciebus facta transsubstanciacione; non enim manet esse panis et vini, per quod prius extiterunt ille species. Ergo cum ille species maneant, advenit eis novum esse.

Dicebatur quod illa accidencia habent naturaliter proprium esse aliud ab esse substancie et per illud

---

2 se *om B* 3 in—includitur *om M* 10 cum de re *A* 15 est$_2$] esse *BA* 16 est$_2$] et *B* suo *om A* 18 convenire *A* 19 convenit *A* 20—21 et vini *om MB*

[1] Quomodo substantiae in eo quod sint, bonae sint, cum non sint substantialia bona, liber ML 64, 1311; ed. Peiper, Lipsiae 1871, 169: Diversum est tantum esse aliquid et esse aliquid in eo quod est; illic enim accidens, hic substantia significatur.

[2] L. c. ML 64, 1311; ed. Peiper 169: Omni composito aliud est esse, aliud ipsum est. Notandum tamen est ad utrumque locum Boethium nomine „esse" non existentiam significare, sed essentiam.

proprium esse sunt post transsubstanciacionem sicut ante.

19. Contra: quando aliquod analogum dicitur de pluribus per attribucionem ad unum primum, in illo primo invenitur illud analogum formaliter et non in aliis, sicut sanum dicitur de multis ‖ per attribucionem ad corpus sanum et ibi tantum invenitur sanitas formaliter. Si igitur esse dicitur analogice de esse proprio accidencium et de esse substancie tanquam de primo, non invenietur esse formaliter nisi in substancia. Illo igitur esse substancie sublato non manebit aliquod esse accidencium proprium formaliter, quo possint existere. B 74v α

20. Preterea: esse primo convenit supposito, et nature per suppositum. Suppositum igitur includit esse. Sed suppositum et natura sunt idem in angelis. Ergo natura includit esse.

21. Preterea: illud quod est absolutum, si faciat modum predicandi non reducibilem ad alios modos, non minus facit predicamentum per se quam id quod est relativum, quod non habet realitatem nisi ex fundamento. Sed esse est absolutum et facit alium modum predicandi ab aliis. Cum igitur relacio sit predicamentum per se, sequitur quod esse sit per se predicamentum, si non sit idem cum essencia. Sed non est predicamentum per se. Ergo includitur in essencia, ita quod per essenciam res dicitur existens, quia per esse, quod includitur in essencia.

22. Preterea: illud quod est perfectissimum in aliquo genere non habet reduci ad illud quod est minus

---

1 post] per *B* 10 invenitur *A* 11 sublato] subiuncto *B* subtracto *A* 12 accidentis *A* 13 possit *A* 19 predicandi realem *A* ad—modos] ad aliquem alium modum predicandi *A* 26 ergo] igitur *A* 27 res] Deus *A* 28 quia] et *A*

perfectum. Sed esse est perfectissimum quod est in re. Ergo non est in genere per reduccionem, sed directe et ita non est extra essenciam speciei.

23. Preterea: quando aliquid producitur in [esse], esse eius prius non est et postea est; et quando res corrumpitur, esse eius prius est et postea non est. Esse igitur est indifferens ad esse et non-esse. Si igitur esse est aliud ab essencia propter hoc quod essencia est indifferens ad esse et non-esse, sequitur quod esse sit aliud a seipso, cum similiter sit indifferens. Consequens falsum. Ergo antecedens.

24. Preterea: si verbum incarnatum dimitteret naturam humanam, quam assumpsit, ita ut natura humana illa maneret separata, illa natura deposita haberet novum esse subsistencie, si esse differat ab essencia. Sed hoc esse non potest; quia illud esse non produceretur per se neque per creacionem neque per generacionem — quia tam generacio quam creacio terminatur ad rem subsistentem, esse autem nature humane non est subsistens — nec produceretur illud esse per removens prohibens — quia removens prohibens non est causa alicuius nisi per accidens. — Et ideo oportet dare aliam causam, que est causa
M 311vα ‖ per se. Talem vero causam per se non est invenire, nisi esset generans vel creans; quod eciam esse non potest. Et ita illud novum esse non haberet causam; quod est inpossibile. Et hoc sequitur, quia esse ponitur aliud ab essencia. Ergo hoc est inpossibile.

25. Preterea: esse angeli est quedam similitudo esse divini, sicut essencia angeli est quedam similitudo essencie divine. Si igitur ad hoc quod esse angeli

---

2—3 non—ita *om A* 5 eius *om A* est$_2$] erit *A* et$_2$] sed *A* 6 eius *om A* est$_2$] esse *A* 10 simpliciter esse *A* 11 consequens est *A* ergo et *A* 21 removens et *M* 23 ideo *om MB* 25 eciam *om A* 26 habet *BA*

sit limitatum oporteat ponere aliquid aliud substratum ipsi esse, per quod limitetur, eadem racione necesse est ponere aliquid substratum ipsi essencie, per quod limitetur. Sed hoc est falsum, quia essencia angeli est subsistens et non est recepta in aliquo. Ergo nec esse recipitur in essencia.

26. Preterea: veritas, bonitas, unitas nichil addunt super essenciam absolutam et positivam. Sed entitas est transscendens sicut et bonitas. Ergo nichil addit super essenciam aliud ab essencia.

Oppositum arguitur: 1. Quia in Deo esse non est aliud ab essencia, ideo Deus non habet causam sui esse, ‖ cum non possit intelligi non existens. Si igitur A 26rα
in angelo esse non sit aliud ab essencia, angelus non poterit intelligi non existens et per consequens angelus non habet causam sui esse. Sed hoc est falsum. Ergo esse angeli est aliud realiter ab essencia et ita est ibi composicio realis.

Ad hoc dicebatur quod non est simile de Deo et de angelo; quia esse in angelo non inportat nisi habitudinem essencie ad causam efficientem et ideo est extra intellectum essencie, esse autem in Deo non inportat habitudinem ad causam et est de intellectu essencie et ideo causam non potest habere sicut angelus

Contra: si esse inportat relacionem ad causam, esse est in genere relacionis. Sed illud quod est in genere relacionis est realiter aliud ab essencia substancie, quia predicamenta sunt distincta secundum suas realitates. Ergo adhuc videtur quod esse faciat composicionem realem cum essencia in angelo.

2. Preterea: esse existencie inter omnia videtur

---

1 oportet *A* substractum *MB* 3 subtractum *MB* 8—10 essenciam — super *om BA* 10 essencia] esse *A* 13 non$_2$] nisi *A* 28 aliud *om B*

esse magis absolutum; quia est actus entis ut est in se, non ut ordinatur ad alterum. Ergo esse non inportat relacionem ad causam.

3. Preterea: esse existencie est quiddam reale. Si igitur non est aliquid reale aliud ab essencia, oportet quod sit reale de intellectu essencie. Omne enim reale, quod est idem cum essencia hominis, est de intellectu hominis ut animalitas, racionalitas et huiusmodi. Ergo similiter omne reale, quod non est aliud ab essencia specifica angeli, includitur in essencia illa et est de intellectu eius. Esse ergo angeli est de intellectu essencie angeli. Non igitur potest essencia angeli intelligi non existens. Et per consequens non potest habere causam sui esse sicut nec Deus.

4 Preterea: cum esse existencie sit reale quoddam, oportet quod significetur per aliquod nomen rei extra animam. Si significetur per nomen essencie specialis, est de intellectu essencie et per consequens non est intelligibile quod essencia non existat, sicut homo non-animal non est intelligibile. Quod autem non est intelligibile non potest fieri a Deo. Ergo Deus non potest facere quod angelus non existat et eadem racione non potest angelum producere, ut existat. Sed hoc est falsum. Et ita redit primum argumentum quod angelus non habet causam. Si dicatur quod esse est reale et significatur per nomen alterius rei quam per nomen essencie, sequitur quod sit aliud reale ab essencia et faciat composicionem realem cum essencia.

5. Preterea: alia questio est ‚an est' et alia est

---

1 est$_1$ *om B* 2 ordinatum *A* 5 igitur esse *A* 6 reale absolutum *A* 9 omne] esse *B A* 10—11 includitur — angeli *om B* 12 ergo] igitur *B A* 18 specialis] spiritualis *A* 20 non$_1$ est *A* 27 aliud] aliquid *A*

questio ‚quid est', ut dicitur 2[0] Posteriorum[1]. Ergo aliud est scire de aliqua re ‚an est' et scire ‚quid est', quia questiones sunt equales numero hiis que vere scimus. Esse igitur rei est aliud a quidditate. Dicebatur quod questio ‚an est' est alia a questione ‚quid est', quia esse non convenit quidditati ex proprietate quidditatis, sed ex ordine ad causam.

6. Contra: quanto aliquid ‖ propinquius se tenet ‖ cum essencia, tanto magis convenit essencie ex sua proprietate. Unde propria passio cuiuslibet substancie convenit ei ex sua natura. Sed esse propinquius se tenet cum essencia quam aliqua alia propria passio. Ergo esse maxime convenit unicuique ex sua natura. B 74vβ M 311v

7. Preterea: si esse esset inclusum in essencia, esset idem cum forma. Sed hoc non est verum, ut patet in rebus materialibus, cum forma sit actus materie, non autem actus compositi. Non ergo est esse de essencia.

8. Preterea: quia animal est de essencia hominis, semper fuit homo animal; semper enim fuit hec vera ‚Homo est animal'. Si igitur esse est de essencia angeli, semper fuit angelus existens. Ergo non habet causam sui esse.

9. Preterea: Deus est causa angeli per intellectum et voluntatem. Aut igitur Deus intellexit angelum existentem, antequam crearetur, aut non existentem ante sui creacionem. Si intellexit eum existentem,

---

1 est *om B* 2[0]] primo *A* 2 aliqua alia *B* scire$_2$ *om A* 4 rei] res *B om A* aliud] res alia *A* 5 est^2 *om A* 7 ex] de *B* 9—10 convenit—substancie *om BA* 12 aliqua *om BA* 13 natura] essencia *BA* 14 esse *om A* 17 autem est *BA* 18 de] in *A* 19 quia] si *A* 25 intelligit *A* 27 intelligit *A* eum] essenciam *B*

[1] Anal. Post. l. 2 c. 1 89b 24, 34; versio lat. l. 2 co 1; Thom. l. 2 lect. 1.

antequam crearetur, ergo angelus habuit esse, antequam produceretur ad esse. Si intellexit eum non existentem, ergo existere non est de sua essencia; quia nichil potest intelligi cum opposito eius quod est de sua essencia, quia includitur contradiccio ut hec ‚homo non-animal'.

10. Preterea: Philosophus dicit 7 Methaphisice [1] quod querere ‚propter quid homo est homo' nichil est querere, quia hoc non habet causam quod ipsum sit ipsum propter quid autem querit causam. Si igitur esse sit idem essencie in angelo, angelus non habet causam sui esse.

11. Preterea: in Commento Libri de causis [2] dicitur quod intelligencie, quas angelos dicimus, habent essenciam et esse. Sed idem non copulatur sibi ipsi. Ergo esse, quod copulatur cum essencia, non est idem cum essencia.

12. Preterea: quando unum contradictoriorum, quod est pure nichil, inest alicui de se, si aliud contradictoriorum quod est positivum et reale insit sibi per aliquam causam, illud faciet composicionem cum eo. Sed substancie angeli convenit de se non esse. Ergo si esse convenit ei in ordine ad causam, esse faciet composicionem cum substancia angeli.

---

6 non est *A* 8 querens *A* 10 ipsum *om A* 15 idem esse *A* 23 in *om B* 24 facit *A*.

[1] Met. l. 7 (*Z*) c. 17 1041 a 14, 22—24; versio lat. l. 7 co 59: Hoc quidem igitur propter quid ipsum est ipsum nihil est querere . . . Hoc quidem igitur palam, quia non quaerit, quare qui est homo homo est. Aliquid ergo de aliquo quaerit propter quid existit. Thom l. 7 lect. 17.

[2] Versio, quam S. Thomas [lect. 9] interpretatus est habet: Et intelligentia est habens yleachim quod est esse et forma. Ed. Bardenhewer, Freiburg 1882, 173: Et intelligentia est habens helyatin et formam.

13. Preterea: omne reale positivum et absolutum, quod participatur ab alio, in quo suscipitur, realiter differt ab illo participante, sicut forma, que participatur a materia, realiter differt a materia. Sed esse est reale positivum absolutum et participatur ab essencia sicut ab illo in quo recipitur. Non enim participatur ab essencia sicut genus a specie, quia tunc contraheretur esse per differenciam aliquam ad genus determinatum; quod est impossibile, quia tunc ens esset genus ad X predicamenta. Ergo esse realiter differt ab essencia.

Responsio. Quidam[1] ponunt quod in angelo esse non facit realem composicionem cum essencia. Dicunt enim quod esse non differt realiter ab essencia nec tamen differt ab ea tantum secundum racionem. Sed differunt essencia et esse quodam medio modo sc. secundum intencionem et faciunt composicionem intencionalem, sicut genus et differencia ut animal et racionale. ‖ Unde non est esse de intellectu A 26rβ essencie, quamvis non differat ab essencia realiter.

Sed ista posicio quantum ad presens deficit in duobus: Primo in hoc quod ponit aliqua differre neque secundum rem neque secundum racionem, sed plus quam secundum racionem et minus quam secundum rem[2]. Talis enim differencia esse non potest; quia quecunque duo accepta, si aliquo modo differunt, aut differencia eorum est in re extra animam aut

---

1—5 reale—est *om B* 5 et *om BA* 6 essencia] esse *A* sicut] tanquam *A* suscipitur *B* 7 essencia] esse *A* 12 ponunt] dicunt *A* 19 unde et *A*

[1] Henr. de Gandavo Quodl. 1 q. 9; Quodl. 10 q. 7 ed. Venet. 1613 I f. 11[r], II f. 155[r], 156[r].

[2] Cf. Aegid. Rom. Quaestiones de esse et essentia q. 9 ed. Ven. 1503, f. 19[v].

tantum est in racione considerante unum et idem in re sub diversis racionibus. Si differencia eorum sit ex parte rei, talia vocamus differencia secundum rem. Si autem illorum differencia sit tantum in intellectu considerante unum et idem secundum rem sub diversis racionibus, talia vocamus differencia secundum solam racionem. Nichil aliud enim est aliqua differre re quam differenciam eorum esse in re; et similiter nichil aliud est aliqua differre racione tantum quam ipsa differre non in re, sed tantum secundum diver-
M 312ra sas raciones in intellectu nec ‖ potest esse alia differencia aliquorum media inter istos duos modos differendi, quia res non possunt habere nisi duplex esse sc. in anima vel in intellectu et extra animam. Ubi autem non est res alia, ibi non est eius ab alia re differencia nec eciam a seipsa. Illa ergo que dicuntur differre intencione vel differunt secundum rem vel differunt secundum solam racionem. Et ita non est nisi figmentum ponere differenciam mediam inter differenciam realem et differenciam secundum racionem. Et ita si esse non differat sola racione ab essencia, sequitur quod differat realiter ab ea et faciat composicionem realem.

Qui autem invenit differenciam mediam inter differenciam realem et differenciam secundum racionem, oportet quod inveniat quoddam esse rei medium inter esse suum in intellectu et esse suum extra animam; et per consequens quod ponat medium inter contradictoria. Ens enim, quod sufficienter dividitur in ens nature extra intellectum et in ens racionis in intel-

---

1 est *om A* 1—2 in re] re *A* 2 sub] in *B* 4 istorum *M* 7 aliqua] alia *A* 13 potest *A* 14 in_2 *om M* 16 ergo] autem *A* 27 animam] intellectum *B* 28 consequens oportet *A* 29 enim *om M*

lectu, contradictorie opponitur. Non-ens enim simpliciter idem quod nichil est, esse autem dicitur sicut et ens. Igitur si esse rei sit aliquod medium inter esse in intellectu et esse extra intellectum, illud esse erit medium inter esse et non-esse; que sunt contradictoria, quia nec erit non-esse simpliciter nec esse, quod ei opponitur contradictorie. Nec valet exemplum de genere et differencia ut de animali et racionali; quia cum genus et differencia sint partes secundum racionem ipsius speciei, ut dicitur 5 Methaphisice[1], quia sunt partes racionis ostendentis quid est speciei, non differunt genus et differencia, prout sunt in eodem, nisi secundum racionem; et in diversis differunt secundum rem, ut animal in leone realiter differt a racionali. Unde propter differenciam generis et differencie non debet poni medius modus differendi, sicut isti ponunt.

Secundo deficit hec posicio in hoc quod ponit incompossibilia, quod esse non est de intellectu essencie et tamen quod non differat ab essencia realiter. Hoc enim verum est quod esse non est de intellectu essencie create. Sed si non differret ab essencia realiter, necessarium esset dicere quod esset de intellectu essencie. Cum enim esse actuale sit quiddam positivum et absolutum reale extra animam, oportet quod sit de intellectu alicuius realis. Aut igitur erit de intellectu essencie aut alterius realis ut accidentis. Si autem non ‖ differt realiter ab essencia, manifeste B 75rα

---

1 opponuntur *A* Non—ens] non—enti *M* non est *B* 2 idem *om MB* 3 rei *om M* medium *om M* 11 quod *A* 18—19 inpossibilia *A* 25 et *om M*

[1] Cf. Met. l. 5 (*Δ*) c. 6 1016a 24; versio lat. l. 5 co 10: Dicuntur autem unum quorum genus unum, differens oppositis differentiis.

sequitur quod non erit de intellectu alterius realis essencie, a qua non differt realiter. Et ita relinquitur quod sit de intellectu essencie. Si tamen esse inportaret privacionem sicut hoc nomen unum, quod significat indivisionem, que est privacio divisionis, posset non differre ab essencia et tamen non includi in intellectu essencie, sicut hoc nomen ‚homo' non includit in suo intellectu unum. Propter quod non est nugacio, cum dicitur ‚homo unus' vel ‚ens unum'. Similiter etsi esse inportaret relacionem nonrealem, sed relacionem secundum racionem sicut bonum quod importat relacionem ad appetitum, adhuc posset esse non differre ab essencia realiter et tamen non includi in intellectu essencie specifice. Bonum enim non predicat aliud secundum rem a subiecto, de quo predicatur, sed tamen non est de intellectu alicuius substancie create. Unde non est hec nugacio ‚Michael bonus' vel ‚Gabriel bonus' sicut nec ‚hic homo bonus'. Sed ex quo esse Michaelis non inportat quid privativum nec relativum, sed positivum et absolutum, oportet quod si non differet realiter ab essencia Michaelis, quod includeretur in intellectu ipsius. Et esset nugacio ‚Michael existens', sicut est
M 312rβ nugacio ‚Michael substancia' vel ‚homo animal'. ‖ Patet igitur quod male ponunt qui dicunt quod esse non differat realiter ab essencia et tamen non est de intellectu essencie.

Propter hoc alii[1] ponunt qnod esse, cum realiter

---

1 realis quam *A* 3—4 si—privacionem *om B* 4 esse *om A* 5 que] quod *A* 6 non] enim *B* esse *A* 7 includeretur *A* 10 eciam si *B* respectum *M* 11 respectum *M* 15 non *om B* 18 nec] vel *A* 19 Michael *A* 20 relacionem *A* et] vel *A* 24 Michael substancia] animal homo *A* 26 differt *A* tamen *om M*

[1] Godefridus de Fontibus Quodl. 3 q. 1 ed. Louvain 1904, II 164—166.

non differat ab essencia, est de intellectu essencie, ita quod essencia non potest intelligi sub opposito ipsius sc. sub non-esse. Sed ista posicio nullo modo potest stare, quia destruit totam fidem de creacione rerum et gubernacione et ponit omnia esse eterna et nichil esse creatum in rerum natura. Quod enim ex sua natura non potest intelligi ‖ non esse, non potest A 26va habere causam sui esse, sed naturaliter habet esse. Si enim posset per aliquam causam produci a non-esse in esse, posset intelligi non esse, antequam produceretur, ita quod vere posset intelligi non existens ante suam produccionem et existens post produccionem. Sed si esse sit de intellectu essencie, repugnat ei quod intelligatur non existens et ante sui produccionem. Quod enim est de intellectu alicuius semper sibi convenit et oppositum eius nunquam ei convenire potest. Semper enim homo est animal et pro quocunque tempore intelligatur homo vel pro quacunque mensura, animal est de intellectu eius. Unde quamvis antichristus nondum sit productus, tamen modo pro isto tempore homo est de intellectu antichristi et similiter animal, quia sunt de essencia eius. Similiter igitur si esse non differret realiter ab essencia, sed esset de intellectu eius, eternaliter esset de intellectu eius, ita quod pro nulla duracione posset intelligi non existens. Et per consequens non esset intelligibile quod produceretur a non-esse in esse per aliquam causam, sed ex natura sua haberet esse omnis talis essencia et ita esset eterna nullam causam habens. Unde Augustinus dicit Libro de libero arbitrio[1]

16 inest et convenit *A* numquam] non *A* ei] sibi *A* 18 homo vel] et *A* 24 eternaliter] essencialiter *A* 27 quod non *B*

[1] Locum non inveni. Cf. De libero arbitrio l. 2 c. 8 ML 32, 1252.

quod nichil est magis eternum quam racio circuli de circulo; similiter duo et tria esse quinque, quia predicatum est de intellectu subiecti. Propter quod eciam bene dicit Philosophus septimo Metaphisice[1] quod „querere ‚propter quid homo est homo', nichil est querere; quia homo non habet causam et propter quid querit causam". Patet igitur quod posicio, que ponit esse de intellectu cuiuslibet essencie, ponit omnia esse eterna et nichil esse creatum a non-esse in esse nec aliquid posse creari; que omnia repugnant non solum fidei, sed racioni et sensui.

Propterea necessario est dicendum et absque omni ambiguitate tenendum quod esse actuale realiter differt ab essencia creata et facit realem composicionem cum ea. Ad cuius evidenciam considerandum est quod cum in omni eo quod est oporteat ponere esse tanquam illud quod est maxime actualitatis seu perfeccionis in ente, oportet ponere aliquod ens, cuius essencia sit ipsum esse tantum et quod sit primum ens et prima causa cuiuslibet entis. Et hoc ens est Deus. Si enim sua essencia non esset tantum esse sed esset composita ex esse et quodam alio, esset ens compositum. Omne autem compositum habet causam unientem ea, ex quibus componitur. Que enim diversa sunt secundum se, non conveniunt in unum nisi per aliquam causam, que ipsa uniat. Et preterea simplex est prius composito. Primum igitur ens non habet esse compositum cum quodam alio, sed est

3 quod] hoc *B* eciam] et *M* 8 cuiuscunque *A* 9 causatum *B* 10 omnia sunt inconveniencia et *A* 11 sed eciam *A* 12 preterea *B* 15 ea] essencia *A* 16 est *om A* 18 et oportet *A* 19 et—sit] id est *A* 20 et$_1$ *om M* est *B* alterius entis *M* ens est] ens *M* est *A* 21 esset tantum esse] tantum est *M* 26 ipsa] illa *M*

[1] Met. l. 7 (*Z*) c. 17. 1041a 14, 22—24. Cf. p. 22 n. 1.

ipsum esse subsistens; alioquin non potest esse prima causa. Tale autem ens, quod sit ipsum esse subsistens, non potest esse nisi unum tantum, sicut ostendit Avicenna 8^0 Methaphisice sue[1]. Esse enim subsistens, cum sit primum et non sit limitatum per aliud inperfeccius, quod sit potenciale respectu esse, comprehendit in se omnem perfeccionem essendi. Si autem essent plura esse subsistencia, oporteret ea differre; aliquid ergo conveniret uni, quod non conveniret alteri. Sed hoc est inpossibile; quia esse subsistens, necessario continet omnem perfeccionem et caret omni privacione perfeccionis ex hoc quod est esse primum, non admixtum alicui potencialitati. Et ita si ponantur plura esse ‖ subsistencia, tota perfec- M 312vα
cio unius est in alio et non maior neque minor; et ita non erit aliquid in eis, per quod distinguantur. Non igitur poterit esse nisi unum esse subsistens. Et hoc est Deus. Qui cum sit maxime et verissime ens, necesse est quod nichil aliud habeat esse nisi ab eo tanquam a causa prima. Primum enim in omni genere est causa aliorum omnium, que sunt in illo genere.

Ulterius considerandum est quod non est possibile aliquod ens esse causatum a primo ente, in quo causato esse sit de essencia, sicut esse non potest esse in ipsa essencia; quia, sicut probatum est supra, res,

---

1 potest *om A* 2 ipsum] primum *A* 3 sicut] ut *A* 4 enim *om A* 5 sit *om A* 6 aliquid aliud *A* 6—12 quod sit—caret] quod sit possibile, illud esse comprehendit in se omnem perfeccionem et caret *A* 14 tota *om A* 16 erit] contingit *A* aliquid reperiri *A* 18 et verissime] entitatis sicut *A* 20 prima *om B* 23 est$_1$ *om A* 24 aliquod—causatum] quod sit aliquod ens creatum *A* causatum] et causatum *B* 24—25 causato] creato *A* 26 in *om M*

[1] Met. l. 8 c. 5 ed. Ven. 1508, f. 99r-v.

de cuius natura est esse, non potest habere causam sui esse, quia non potest intelligi nisi existens, pro quacunque duracione intelligatur. Deus autem est causa omnium rerum per intellectum et voluntatem, secundum quod vult quod habeant esse post non-esse. Et per consequens intelligit res sub non-esse producibiles ad esse post non-esse. Nullius igitur
B 75rβ causati esse est de essencia. Et propterea ‖ non potest esse aliquod ens, in cuius essencia sit esse tanquam genus et aliquid aliud tanquam differencia; quia cum tale ens limitatum esset causatum, esse non foret de eius essencia tanquam forma generis vel differencia. Unde sicut ens in sua communitate non potest esse genus et habere differenciam contrahentem, ita nec hoc nomen existens potest esse genus nec habere differenciam contrahentem ad genus, quod est substancia, vel ad aliud genus, sed necesse est quod omnis natura seu essencia causata sit totaliter et quantum ad genus et quantum ad differenciam vel in genere substancie vel in alio genere de numero 10 predicamentorum et quod esse suum actuale differat ab eo realiter, ut sic causari possit a primo
A 26vβ ente a non-esse in esse et ut sit limitatum ‖ per essenciam, que non est tante actualitatis, quante est esse, sed comparatur ad esse sicut potencia ad actum. Et sic tale ens non est actus purus, sed habet potencialitatem admixtam. Sic et omne ens preter Deum habet esse participatum, non sicut species participat genus, quod est de intellectu eius, sed sicut materia participat formam, que realiter a materia participante differt.

---

2 esse *om* *BA* 7 igitur] enim *A* 8 causati] creati *A* esse *om* *M* 14 et] nec *A* 18 causata] creata *A* 21 actuale *om* *A* 23 sit *om* *A* 25 actus ad potenciam *A* 27 adiunctam *A* sic et] et sic *B* et sicut *A* Deum] divinum *A*

Unde aliqui doctores[1] bene ostendunt racione necessaria quod esse differat ab essencia angeli realiter ex hoc quod essencia angeli habet esse participatum. Patet enim per ea que dicta sunt quod essencia non sic participat esse, quod habeat esse limitatum per differenciam contrahentem esse ad constituendum essenciam, de cuius intellectu sit esse, ut ideo dicatur participare esse id est partem eius capere, quia est de essencia eius, que est limitata, sicut speciés participat genus. Sed oportet quod habens essenciam sic participet esse, quia capit non totam perfeccionem essendi, sed partem, in quantum esse limitatur per essenciam, in qua suscipitur; que essencia est limitata ad genus determinatum et ad speciem. Et sic limitatur esse per essenciam, sicut forma equi limitatur per hoc quod recipitur in materia tanquam in susceptivo participante. Isto enim modo actus participatur a potencia; et isto modo participatum realiter differt a participante et non est de intellectu ipsius.

Unde patet quod male dicunt qui ponunt[2] essenciam participare esse sic, quod essencia creata capit a Deo seipsam includentem esse, quod esse est pars respectu esse divini; et quod non capit aliud a se secundum rem, sed quod est inter capiens et captum relacio racionis tantum, sed quod inter capiens et Deum, a quo capit, est relacio realis. Istud dictum est erroneum, quia secuntur multa inconveniencia, ut dictum est, si ponatur quod essencia sic participet esse, quod esse sit de suo intellectu; sequitur sc. quod

1 aliqui] alii *A* 9 quia] que *B* 21 dicunt illi *A* 22 causata *B* 27 capitur *A* 30 sc.] enim *A*

[1] Aegid. Rom. De esse et essentia q. 9; q. 11 ed. Ven 1503, ff. 20[v]—21[v], 24[v]—25[r].

[2] Cf. Henr. de Gand. Quodl. 10 q. 7; ed. Ven. 1613, ff. 153[v], 154[v].

nichil sit causatum in rerum natura et quod omnia sint eterna.

Sed de hoc oritur dubium. Si enim essencia non posset intelligi non existens, si includeret esse, et ita
M 312vβ nec posset habere causam sui esse: ‖ eadem racione videtur sequi quod essencia non habeat causam sui esse, si esse ponatur differre realiter ab essencia, quia illud esse non potest intelligi non esse, sicut homo non potest intelligi non-homo nec aliquid potest intelligi sub suo opposito. Ergo si esse realiter differt ab essencia, adhuc illud esse non habebit causam et per consequens essencia non erit producta in esse a non-esse, sed erit eterna eciam secundum suam actualem existenciam. Et ita secuntur eadem inconveniencia posito quod esse differat ab essencia realiter, que secuntur ponentes quod esse non differt realiter ab essencia, ut videtur.

Ad hanc vero dubitacionem tollendam advertendum est quod quamvis aliquid non-contractum non possit intelligi cum suo opposito, ipsum tamen contractum per aliquid diminuens potest intelligi cum suo opposito v. gr. album per se sumptum non potest intelligi non-album, album tamen secundum dentes potest intelligi non-album simpliciter vel non-album secundum faciem. Vel melius exemplum est de forma, que naturaliter est separata a materia sc. forma angeli non limitata per materiam; non enim potest intelligi non-separata. Anima tamen separata, que est contracta per materiam, potest intelligi non-separata, quia non per naturam suam est

---

1 creatum *A* 3 de] ex *A* dubitacio *B* si] sic *A* 6 essencia] esse *A* 10 opposito esse *A* 12 causam sui *A* essencia] creatura *A om B* 16 realiter *om A* consequuntur *B* posito *A* 26 que non *A* 30 naturam] materiam *B*

separata, sed propter inproporcionem corporis; et ideo separata pro uno tempore potest intelligi non-separata pro alio tempore. Nunc autem si esse sit in essencia rei, illud esse non erit contractum neque per differenciam neque per aliquod susceptivum, ut visum est. Et ideo esse tale non potest intelligi non esse et per consequens nec talis essencia potest intelligi non esse. Sed si ponamus quod esse sit contractum per essenciam, in qua recipitur tanquam diminutum per essenciam, a qua participatur, potest illud esse intelligi non esse pro aliqua duracione sicut et essencia, in qua recipitur. Tale enim esse non existit nisi per accidens. Sed quia esse per se convenit rei subsistenti, ideo sicut illud cuius est esse potest intelligi non esse ante suam produccionem et post suam desitionem, ita illud esse, quod est actualitas eius, potest intelligi non esse ante produccionem illius cuius est et post suam desitionem. Et propterea non secuntur illa inconveniencia ponendo quod esse realiter differt ab essencia, que secuntur ponendo quod esse non differt ab essencia.

Quamvis autem esse substanciale angeli vel alterius substancie create realiter differat ab essencia, non tamen est dicendum quod pertineat ad aliud genus quam ad genus substancie, sed reducitur ad genus substancie, in qua recipitur non tanquam inperfectum in genere illo, sed tanquam actualitas et perfeccio eius quod per se est in genere nec tanquam principium essencie, sed tanquam id quod resultat ex essencia tanquam per se consequens essenciam productam.

---

4 erit] est *BA* 5 aliquod] aliud *A* 6—8 et—esse$_1$ *om BA* 8 si ponamus] supponamus *M* 11 aliqua] alia *B* 14 et ideo *M* 19 consequuntur *B* sequitur *A* 29 sequitur *A* 24 pertineat] participat *B*

Hiis visis respondendum est ad argumenta. Ad primum dicendum quod infinitum verbi adiectivi significat rem verbi cum suo esse. Currere enim significat cursum esse, legere significat leccionem
B 75vα esse ‖ sicut vivere ‖ significat vivum esse. Sed in-
A 27rα finitum huius verbi substantivi ‚est' propter suam communitatem significat esse tantum et nullam specialem essenciam. Unde non est simile de esse et de aliis infinitivis, que significant actus speciales.

Ad 2^{m} dicendum quod, quando Priscianus[1] dicit quod hoc verbum ‚est' significat substanciam uniuscuiusque, ipse accipit substanciam large pro quacunque essencia vel essenciali. Esse autem actuale, licet non sit infra essenciam participantem, est tamen ei essenciale tanquam primo consequens ad ipsam.

Ad 3^{m} dicendum quod hoc verbum ‚est' significat substanciam id est actualitatem substancie id est essencie, et hoc tam a significacione quam a modo,
M 313rα prout sc. est presentis ‖ temporis; prout enim est futuri temporis, distrahitur ad significandum actualitatem essendi in futuro pocius quam actualitatem essendi simpliciter. Non tamen est dicendum quod hoc verbum ‚est' significat per modum substancie, sicut eciam racio concludit. Et per hoc patet quid sit dicendum ad 4^{m}, quia bene concludit.

Ad 5^{m} dicendum quod ens potest accipi dupliciter: vel nominaliter — et sic dicitur denominative ab essencia et sic non dicitur aliquid ens formaliter per esse —; vel potest accipi ens participialiter sc. idem quod existens — et sic dicitur denominative ab esse

---

2—3 activi *BA* 4 esse et *M* 5 sicut] et *M* 6 substantivi *om A* 9 infinitis *A* 21 existendi *B* 23 eciam] et *A* 24 et *om A* 25 quia] quod *A* 26 dupliciter] 2^{r} sc. *B*

[1] Institutiones l. 18 c. 2. Cf. p. 11.

et sic non dicitur aliquod creatum ens per suam essenciam —. Unde equivoce accipitur ens.

Ad 6[m] dicendum quod unumquodque dicitur existens per aliquid formaliter, si large accipiamus formam pro quolibet actuali. Si tamen accipiamus formam stricte, non est hoc verum. Et ideo non sequitur quod esse, quo res dicitur existens, sit forma aliqua stricte loquendo. Si tamen quamcunque actualitatem vocemus formam, concedendum est quod esse sit forma; est enim actualitas rei. Unde cum volumus significare aliquam rem esse in actu, dicimus quod ipsa est.

Ad 7. dicendum similiter quod hoc nomen ‚res' potest accipi proprie vel large sive communiter. Si accipiatur proprie, sic esse non est res, sed actualitas rei, sicut non est essencia, sed actualitas essencie. Si autem res accipiatur communiter pro quocunque reali, sic potest concedi quod esse sit res; est enim realis actualitas essencie. Et ideo non sequitur quod esse sit aliqua essencia.

Ad 8. dicendum similiter quod, prout aliquod est commune ad omne, quod non est nichil, esse est aliquid. Sed ex hoc non sequitur quod sit alia essencia, sed est fallacia consequentis. Si vero aliquid accipiatur stricte id est ‚aliud quid', idem sc. quod essencia, sic esse non est aliquid, sed est actualitas alicuius, qua existit essencia formaliter. Esse autem existit seipso formaliter, licet per accidens; et non existit per aliquid additum. Et ideo non est procedere in infinitum.

Ad 9. dicendum quod esse inportat actualitatem

---

5 tamen] autem *A* 14 si autem *A* 16 essencia] esse *A*
19 realis] talis *A* 20 aliqua] alia *B* 21 similiter est *B*
23 alia res ab *B* 31 esse] ens *B*

aliam ab essencia ex principali sua significacione, sive significetur per tempus presens sive per preteritum sive per futurum. Nam fuisse significat actualitatem existendi in preterito, fore autem significat actualitatem existendi in futuro. Unde dicendo ‚a erit' significatur actualitas ipsius a pro tempore futuro, sed non pro presenti. Sed quod futurum est vel preteritum, in quantum tale, non est in actu. Ideo distrahitur actualitas per tempus preteritum et futurum. Et quia quod est in presenti tempore est in actu, ideo convenienter significatur actualis existencia rei per verbum presentis temporis. Unde esse divinum, a quo participatur omne aliud esse, neque habet preteritum neque futurum, sed tantum presens.

Ad 10. dicendum quod si ponatur esse non differre ab essencia, non possunt omnia salvari, quia ex hoc sequitur nichil posse produci ab aliqua causa et ita destruitur ordo rerum in universo et motus corporum, quem ad sensum videmus.

Ad. 11. dicendum quod terminus cuiuslibet producionis necessario comprehendit duo sc. formam, per quam res constituitur in specie, et esse actuale rei producte. Et utrumque ipsorum potest dici terminus vel finis productionis, tamen ambo faciunt unum perfectum terminum, quia ambo sunt intenta a producente; sicut grave existens sursum appetit tamquam finem locum deorsum, sed non nisi ut ibi sit, unde appetit esse in loco illo. Nec est inconveniens quod forma dicatur terminus per se et similiter quod esse dicatur terminus per se, et tamen ambo consti-

---

2 significetur] significante *B* 3 sive per] vel *B* 4 essendi *A* 5 a] angelus *A* a] angeli *A* 8 ideo *om B A* 12 temporis *om B* divinum] diminutum *A* 17 aliqua] alia *B* 18 ita] ideo *A* 23 ipsorum] istorum *A* 27 ut *om M* 28 appe! *B*

tuunt unum terminum; sicut principium effectivum caloris dicitur ignis, similiter et calor ignis dicitur principium caloris, cum tamen ignis cum suo calore est unum principium effectivum caloris.

Ad 12. dicendum quod nichil prohibet aliquid convenire composito secundum unam racionem ‖ et secundum aliam racionem convenire utrique componencium; sicut igni calido convenit esse principium effectivum caloris, in quantum ignis est suppositum habens calorem, calor eciam est principium effectivum caloris alio modo, sc. in quantum est potencia activa. Similiter dicendum est in proposito: forma et esse sunt unus totalis terminus produccionis secundum unam racionem, quia sc. totum intenditur ab agente. Forma tamen est terminus vel finis produccionis, in quantum intenditur determinata species, quam forma constituit, esse autem est effectus produccionis et terminus et finis, prout est a Deo tanquam a causa; esse enim est proprius effectus Dei secundum propriam virtutem, quecunque vero alia causa dat esse hoc habet, in quantum ‖ in ea est virtus prime cause. M 313r A 27rβ

Ad 13. dicendum quod X predicamenta sunt diversa genera rerum sive essenciarum, que diversos modos predicandi habent de substancia prima, in qua sunt omnes essencie et de qua omnes predicantur. Unumquodque enim ens per suam essenciam est in genere predicamentali, esse autem non est in genere, nisi prout contrahitur per essenciam, in qua suscipitur et a qua participatur. Unde Deus, qui est esse purum non limitatum per aliquid, non est in aliquo predicamento, sed habet ‖ perfecciones omnium pre- B 75vβ

---

3 cum tamen] cum *A* tamen *B* suo *om A* 18 et *om BA* 19 enim est] non enim est *B* enim *A* 21 est *om M* 25 et—predicantur *om A* et *om B*

dicamentorum, esse autem participatum, quia participatur ab essenciis X generum, constituit predicacionem pertinentem ad omnia X genera, ita quod predicacio, que est per esse substancie, pertinet per reduccionem ad genus substancie et sic de aliis; esse enim dividitur per X genera sicut et ens. Et ideo ad quodcunque genus reducitur esse, ad idem genus reducitur predicacio, que est secundum esse. Et ita non pertinet ad aliquod predicamentum aliud a X predicamentis.

Ad 14. dicendum quod omnis essencia continetur sub ente, prout ens proprie accipitur. Sed sicut ens proprie sumptum continet sub se omnem essenciam, ita esse continet sub se omne esse sc. esse hominis, esse linee, esse albedinis. Unde sicut omne ens est substancia vel accidens, ita omne esse est esse substancie vel accidentis.

Ad 15. dicendum quod instans, quod est mensura mobilis, de quo instanti procedit argumentum, non est intrinsecum tempori tamquam inclusum in tempore; nichil enim de tempore manet, cum sit successivum, instans autem quod est mensura mobilis, semper manet. Unde non sequitur quod esse, de quo fit mencio in argumento, includatur in substancia mobilis. Est eciam defectus in argumento; equivocatur enim esse. Nos enim loquimur de esse actualis existencie, Philosophus[1] autem, quando dicit quod tempus mensurat motum et esse eius, accipit esse

---

3 pertinentem] participantem *B* 4—5 per reduccionem] ad predicacionem pertinentem *A* 6 distinguitur *BA* 7 esse *om A* 14 hominis et *A* 15 linee et *A* 25 equivocatur] univocatur *B* 26 enim] non *A*

[1] Physica l. 4 c. 12, 221 a 4—7; versio lat. l. 4 co 112; Thom. l. 4 lect. 20.

pro duracione. Et ideo fallit argumentum secundum equivocacionem.

Ad 16. dicendum quod, quando Boecius[1] dicit quod, cum dicitur aliquid esse in eo quod est, significatur substancia; intelligit quod forma, que facit huiusmodi esse, habet constituere substanciam rei, non quod esse sit substancia rei, sed substanciale, non accidentale.

Ad 17. dicendum quod in simplicibus rebus, ubi nulla est composicio, idem est esse et quod est. Sed isto modo simplicitatis angelus non est simplex, sed solus Deus. Sed tamen Boecius[2] loquitur pluraliter de talibus simplicibus propter multas perfecciones, que sunt in Deo, sicut loquitur Apostolus, cum dicit ad Romanos primo ⌊20: Invisibilia Dei per ea, que facta sunt intellecta conspiciuntur.

Ad 18. dicendum quod in sacramento altaris post transsubstanciacionem panis non advenit novum esse illis speciebus, sed conservantur a Deo in suo esse, quod prius habebant. Cuilibet enim essencie, eciam accidentali, competit naturaliter proprium esse, quod est actualitas ipsius. Potest autem Deus conservare accidencia in esse sine subiecto, quod est proxima causa.

Ad 19. dicendum quod nomen analogum dicitur de multis in ordine ad aliquod unum. Sed ista analogia id est ordo vel attribucio multorum ad unum dupliciter potest esse: vel secundum esse alicuius formaliter existentis in illis multis — quod tamen

---

2 equivocacionem] univocum *B* equivocum *A* 3-5 quando—substancia *om A* 6 habet *om B* 9 ubi *om A* 10 idem est] realis ex *A* 15 ad *om A* 17 post] sub *M* 19 conservatur *B* 20 eciam] et *M* 27 ad unum *om A*

[1] ML 64, 1311. Cf. p. 16. [2] L. c.

maxime reperitur secundum esse in illo primo, cui
M 313vα || attribuuntur —; vel potest esse formaliter secundum esse in illo primo tantum, sed secundum comparacionem in aliis respectu illius. Exemplum primi est de sapiencia, que analogice invenitur in Deo et angelis et hominibus, in quibus omnibus est sapiencia secundum esse et formaliter, sed perfectissime est in Deo; in aliis autem est secundum quandam participacionem et imitacionem sapiencie divine; et similiter est de aliis perfeccionibus, que sunt in Deo et in creaturis ut de bonitate, libertate et similibus. Et tale analogum est in omnibus formaliter, sed secundum prius et posterius. Exemplum secundi analogi est de calido, quod analogice dicitur de sole et de igne; non enim est calor in sole formaliter, sed effective; causat enim calorem. Similiter eciam isto modo herba dicitur calida effective, sc. quamvis sit frigida formaliter. Et tale analogum invenitur formaliter in primo, ad quod fit attribucio, non autem in aliis. Calor enim non est formaliter in herba, que efficit in homine calorem, nec in urina, que significat calorem in corpore hominis, sed est formaliter in corpore humano sumente herbam et faciente urinam. Primo modo ens est analogum dictum de substancia et accidentibus; accidencia enim sunt essencie formaliter, licet secundum quid, sed substancia est essencia simpliciter. Unde accidens dicitur ens, quia est entis, quod est substancia tanquam aliquid ipsius substancie, non autem tanquam per se ens, sicut substancia est per se ens. Unde illud analogum ens est formaliter quodlibet, de quo dicitur; quia essencia, secundum quam

---

1 esse non *A* 3—4 comparacionem] composicionem *A*
10 in$_2$ *om A* 11 consimilibus *A* 16 similiter eciam] et *A*
19 non *om B* 31 quia] quod *B*

denominatur aliquid ens, reperitur formaliter in omnibus. Et eodem modo esse est analogum ad esse diversorum generum, quia formaliter reperitur in omnibus generibus, ut dictum est. Sed isto modo sanum non ‖ dicitur analogice de multis secundum esse sanitatis in omnibus, de quibus dicitur sanum, sed secundum comparacionem in ordine ad sanitatem in eo, de quo primo dicitur; in quo primo tantum sanitas est formaliter. Sanum enim dicitur de medicina, non quia sanitas sit in medicina formaliter, sed quia medicina facit sanitatem esse formaliter in animali; dieta vero dicitur sana, quia conservat sanitatem animalis; urina dicitur sana, quia significat sanitatem animalis. Patet igitur quod alius modus analogie est de esse et de sano. Et ideo non procedit argumentum. A 27vα

Ad 20. dicendum quod esse primo convenit supposito, quod est subsistens et continens esse et accidencia omnia; subsistere enim, quod est per se esse, est proprie esse et primo. Nature autem non subsistenti convenit esse, quia natura est in supposito, quia natura se habet ut pars suppositi. Et ita nature convenit esse per accidens sc. per suppositum tam in angelis quam in substanciis sensibilibus. Et de substanciis sensibilibus manifestum est quod natura in eis non est subsistens, quia non est individuata de se natura speciei ut humanitas. Natura eciam individuata ut hec humanitas non est subsistens, quia de modo significandi in abstracto significat cum prescisione ipsius esse et omnium accidencium, que sunt in hoc homine. Sic autem non existit, sed existit cum illis, a quibus differt realiter sc. cum esse et cum accidentibus. Sed hic homo

---

5 de *om A* 7 comparacionem] operacionem *B* 8 de—primo *om A* 9 est *om M* 15 de *om A* 21 suppositi] compositi *A* 26 eciam *om A* 30 a *om B*

est subsistens eo quod de modo significandi in con-
B 76ra creto concernit omnia accidencia ‖ et esse, tanquam habens ea, licet faciant realem composicionem in ipso et cum ipso. In angelis autem natura vel essencia non est suppositum subsistens, quia quamvis natura in eis de se sit individuata, tamen de modo significandi in abstracto natura excludit esse et omnia accidencia, cum quibus existit eo quod ab illis differt realiter; nomen enim abstractum significat cum prescisione omnium realiter differencium a significato suo. Unde gabrielitas non concernit esse nec accidencia Gabrielis. Et ideo non est suppositum subsistens. Sed Gabriel est suppositum subsistens, quia de modo significandi concernit esse et accidencia omnia, quorum tamen nullum significat; sicut album, quod solam qualitatem significat, concernit subiectum et alia accidencia annexa. In Deo autem natura est idem cum supposito, quia in Deo nichil est, quod differat realiter a natura. Et ideo modus significandi in abstracto
M 313vβ ‖ non tollit ibi ydemptitatem nature cum supposito nec cum esse nec cum aliquo attributo; nomen enim abstractum non dicit prescisionem illius quod est realiter idem cum suo significato.

Sed tu dicis: in angelis natura et suppositum sunt idem, quia secundum Philosophum[1] in hiis que non concipiuntur cum materia idem est ‚quod quid est' et illud cuius est. Falsum est igitur illud dictum.

1—2 concrecione *M* 4 et—ipso *om A* 13 sed—subsistens *om BA* 16—17 accidencia *om M* 26 concipiuntur] componuntur *A*

[1] Met. l. 7 (*Z*) c. 6 1031 a 28: versio lat. l. 7 co 21: In dictis vero secundum se semper necesse idem esse [quod quid erat esse et unumquodque] 1031 b 18. Ex his itaque rationibus patet unum et idem non secundum accidens esse ipsum unumquodque et quod quid erat esse. Cf. Thom l. 7 lect. 5.

Ad quod dico quod ‚quod quid est' et ‚quidditas' videntur se habere sicut concretum et abstractum. Et ideo quamvis concedatur quod ‚quod quid est' sit idem cum angelo sicut Philosophus dicit loquens de ‚quod quid est' in concreto, non tamen debet concedi in abstracto quod quidditas vel natura angeli sit idem cum angelo vel cum supposito. Si autem omnino habere volueris quod Philosophus dixerit quod in simplicibus idem est quidditas et habens quidditatem sc. suppositum, tunc dictum suum est sic intelligendum, quod non differunt nisi per modum significandi. Et sic sunt idem, in quantum suppositum non addit supra quidditatem aliam rem, que sit de eius significato. Quia enim forma angeli, que est quidditas eius, est de se limitata et individuata et non per aliquid aliud, ideo ipsa, prout concretive significatur, est substancia prima, que est suppositum, et abstracte significata est quidditas. Unde quidditas et suppositum ibi non differunt nisi sicut Danielitas et Daniel. Ista tamen differencia sufficit ad negandum unum de alio. Animalitas enim non est animal nec humanitas est homo. Sed quia suppositum non includit aliquid in sua significacione ultra essenciam in angelis, sicut addit in substanciis materialibus, pro tanto dicit Philosophus quod in simplicibus sc. in angelis idem est quidditas cum eo supposito, cuius est, non autem in compositis ex materia et forma, in quibus suppositum includit materiam signatam, per quam forma individuatur ultra essenciam speciei. Et sic in eis plus differunt natura speciei et suppositum quam concretum et abstractum;

---

3 quod quid] quid *B* 4—5 quod quid] quid *B* 6—7 cum angelo] quod angelus *A* 7 autem] tamen *A* 8 quod ipse *B* 15 limitata et *om B* 25 sc.] id est *A* 26 cum—est] cum eo cuius est id est cum supposito *A* est *om B*

quia differunt non solum in modo significandi in abstracto et in concreto, sed secundum rem, quia suppositum includit rem, que non est de racione essencie. Non sic autem in angelis, ut dictum est; tamen in eis non est idem penitus natura et suppositum propter diversum modum significandi sc. in abstracto et concreto, quia natura significat in abstracto per modum partis, sed suppositum in concreto per modum tocius.

Ad 21. dicendum quod relacio est essencia distincta ab essenciis aliorum generum; et ideo est predicamentum per se. Sed esse quamvis sit absolutum, quia tamen non est aliqua essencia, ideo non potest esse predicamentum per se, sed reducitur ad illud predicamentum, in quo est essencia, cuius est esse. Predicamentum enim distinguitur secundum essencias
A 27vβ generales, que sunt limitate nature de se, esse ‖ autem est de se illimitatum; et ideo non potest pertinere ad aliquod predicamentum de se, sed prout limitatur per essenciam participantem esse, in quantum esse in essencia limitata recipitur. Et ita est aliud ab essencia.

Ad 22. dicendum quod esse non est directe in genere, sed tantum per reduccionem, et hoc est propter suam perfeccionem. Perfeccius enim est esse de se quam illud quod de se est limitatum ad aliquod predicamentum. Quod autem est directe in predicamento est de se limitatum. Unde repugnat perfeccioni ipsius esse quod sit directe in predicamento. Sed per reduccionem est in predicamento illo, in quo est res vel essencia, per quam limitatur.

---

4 tamen] igitur *A* 6—7 sc. — concreto *om* A 7 significatur *M* 10 ab aliis *A* 11—13 sed — se *om B* 12 quia] quid *M* alia *A* 15 predicamentum — distinguitur] predicamenta distinguuntur *B* preterea ens distinguitur *A* 16 de] per *A* 25—27 ad — limitatum *om BA* 29 est *om B*

Ad 23. dicendum quod oportet essenciam creatam esse indifferentem ad esse et non esse et per consequens oportet quod suum esse sit aliud ab ipsa. Si enim essencia aliqua creata includeret esse, illa essencia non esset limitata per aliquod susceptivum ad aliquod genus, sed esset ipsum esse subsistens habens omnem perfeccionem essendi et non posset intelligi non existens et per consequens non haberet causam sui esse, sicut est de Deo. Sed si esse ponatur aliud ab essencia creata, nichil istorum sequitur, quia esse limitatur per essenciam, inquantum recipitur ad determinatum genus et ad speciem determinatam generis per reduccionem. Et quia esse non dicitur existens proprie, ‖ sed solum quia res, cuius est esse, est existens, ideo M 314rα sicut illa res est de se in differens ad esse et non-esse, ut sc. prius habeat non-esse et postea esse, ita esse eius est indifferens, ut sit et non sit. Et prius est et postea non est per corrumpcionem rei, cuius est, si sit res corrumptibilis; vel prius non est, ante produccionem sc. rei, cuius est, et postea est per eius produccionem, si sit [res non-] corrumptibilis. Non tamen sequitur quod esse per talem indifferenciam sit aliud a seipso, sicut sequitur quod esse sit aliud ab essencia propter talem indifferenciam; quia essencia sic est indifferens quod ipsa est susceptiva ipsius esse, susceptivum autem est aliud ab eo quod suscipitur, sed esse non est susceptivum sui ipsius. Et ideo non sequitur quod sit aliud a seipso, quamvis ‖ sit indifferens, ut sit et non sit. B 76rβ

Ad 24. dicendum quod, si verbum Dei deponeret naturam humanam assumptam, ipsa haberet novum

---

1 causatam *B* 2 et$_1$ ad *A* 4 causata *B* 7 omnem] communem *A* 10 causata *B* 11 suscipitur *M* 14 quia *om A* est existens] existens dicitur *A* 15 et ad *M* 17 prius] primo *BA* 18 res non *A* 19 vel] secundum *B* sc.] *om A* 23 sc. quod *A* 29 deponat *A*

esse subsistencie et per illam deposicionem causaretur illud esse tanquam per removens prohibens. Per assumpcionem namque ipsius a verbo inpeditur natura humana, ne esse subsistencie consequatur eam, quia assumitur ad esse divinum subsistens. Et ideo illa assumpcione deposita, si ponatur per inpossibile, statim consequeretur aliud esse subsistencie. Et illud esse esset per se a causa illius nature per se, sed per accidens esset per deposicionem a verbo tanquam per remocionem prohibentis. Causa autem per se illius esse esset Deus, in quantum est causa nature humane Christi; inpedimentum autem faciens illius esse est Deus, inquantum causans eius unionem ad esse divinum in verbo; removens autem impedimentum esset Deus, inquantum esset deponens naturam assumptam et conservans eam, quia ad deposicionem naturaliter consequeretur esse novum ad illam naturam depositam. Et est exemplum ad hoc: Si aliquis in loco sursum causaret grave et ipsum ibi causatum ipse idem detineret ibidem et deinde permitteret grave sibi ipsi, statim consequeretur motus gravis ad deorsum et unus et idem esset causa per se movens, inquantum dans formam, et causa impediens motum, inquantum detinens ipsum sursum, et eciam causa removens impedimentum sc. movens per accidens, inquantum cessans est a detencione eius.

Ad 25. dicendum quod non est simile de limitacione essencie et de limitacione esse actualis. Essencia enim, que non est esse, est de se limitata ad

---

1—2 crearetur *A* 2 removens et *M* 4 natura—consequatur] nature humane esse subsistencie consequatur *B* nature humane esse subsistencie quod consequitur *A* 11 esset] est *A* 15 esset$_2$ *om M* 16 servans *A* 18 est *om M* 19 crearet *A* creatum *A* 21 ad *om A* 26 ad detencionem *A*

genus determinatum et ad speciem, quia includit in se differenciam limitantem genus ad speciem et limitata similitudo Dei non est, ideo quia de se est limitata. Ideo non est necesse ponere aliquod eius susceptivum, per quod limitetur. Sed esse non est de se limitatum, sicut patet de Deo, qui est esse illimitatum. Et ideo oportet ponere ad limitandum esse aliquod de se limitatum, in quo recipiatur, et hoc est essencia. Unde non est eadem racio de essencia, que est de esse quoad limitacionem.

Ad 26. dicendum quod non est simile de veritate, bonitate, unitate et de esse existencie, quia esse non significat respectum, sed inportat quiddam positivum et absolutum secundum suam racionem, quam addit supra essenciam, tamquam non-inclusum in essencia. Absolutum autem positivum, additum supra essenciam oportet esse aliud realiter ab essencia. Sed veritas inportat racionem respectivam additam supra essenciam; dicit enim conformitatem entis ad intellectum. Similiter bonitas inportat respectum additum supra essenciam; relativum autem racionis additum supra essenciam non est aliud re ab essencia. Unitas autem importat privacionem et ideo nichil reale addlt supra essenciam, sed indivisionem. Esse autem addit supra essenciam quid absolutum et positivum, non inclusum in essencia. Et ideo est aliud realiter ab essencia, non quia est transcendens, sed propter causam istam sc. quia est positivum absolutum, non inclusum in essencia. Unde essencia participat esse tanquam actualitatem sibi additam a Deo, qui est esse subsistens, cuius nomen sit benedictum in secula. Amen.

1—3 quia—est$_1$ *om A* 7—8 et—de se] requirit aliquod *A* 15 tamquam] tamen *BA* 21 autem *om A* 25 et *om A* 26 essencia] esse *B* 29—31 tanquam—benedictum] et aliquam actualitatem a Deo *A*

Tertium Quodlibet. Quaestio VIII[a].

M 194vα
B 131vβ **Queritur utrum in creaturis sit realis compositio essencie et esse per creacionem.**

Arguitur quod sic: 1. Quia „essencia illius creature, que creatur ex nichilo non est de se necesse esse, quia tunc non indigeret creacione aut alia factione ad hoc quod esset, nec est inpossibile esse, quia tunc non posset fieri. Ergo oportet quod sit possibile esse. Si ergo Deus velit facere illud possibile esse actu, vel oportet quod inprimat seipsum illi possibili, ut sit sic in actu vel aliquam aliam actualitatem“ [1]. Primo modo non, quia sic esse divinum esset receptum et limitatum. Ergo oportet quod inprimat essencie aliquam aliam actualitatem, per quam ipsa sit in esse
B 132rα actuali. Et sic erit ibi realis ‖ composicio essencie et esse et hoc per creacionem.

2. Contra: Illud quod producitur presupposito aliquo non exit in esse per creacionem, sed magis per generacionem, quia creare est ex nichilo aliquid producere. Sed esse producitur presupposita essencia, ut videtur. Ergo non erit in creatura composicio realis essencie et esse per creacionem [2].

---

2 sit *om B* 4 quia] quod *M* 8 ergo] igitur (?) *B* 9 velit] voluit *B* 10 quod Deus *M* 13 ergo] igitur (?) *B* 18 esse alico *B* 20 producitur *in M* m_2 *addit non* 21 non erit] novum *B* 22 et esse *om B*

[1] Aegid. Rom. De esse et essentia q. 12 ed. Ven. 1504, f. 27vα. Cf. Henr. Gand. Quodl. 10 q. 7 ed. Ven. 1613 f. 153rα, 153vα.
[2] Cf. Henr. Gand. l. c. f. 152v.

Responsio. Hic sunt duo videnda: Primo utrum in creaturis sit realis composicio essencie et esse; 2° utrum creacio exigat illam realem composicionem.

De primo multi et magni tenent quod in creaturis non est realis composicio essencie et esse, sed quod differant vel sola racione secundum quosdam [1] vel intencione secundum alios [2], non autem realiter. Et hoc probant multipliciter:

1. Si enim esse differat realiter ab essencia, cum per esse res sit ens, sequeretur quod res non esset ens per se formaliter, sed per aliud [3].

2. Preterea: esse rei actuale est quid causatum et est in actu. Aut ergo est formaliter per esse additum aut per seipsum. Si primo modo, eadem racione illud esse additum, cum sit causatum, habebit aliud esse additum, per quod formaliter erit. Et erit sic processus in infinitum, quod est inpossibile. Si 2° modo tunc sequitur eadem racione, quod essencia est per seipsam formaliter et per nichil additum, quia eadem racio est de uno causato et de alio quoad hoc [4].

3. Preterea: si esse sit additum essencie, vel erit accidens vel substancia. Si accidens, tunc substancia est per suum accidens, quod est inconveniens. Si sit substancia, vel erit natura vel forma vel compositum. Sed materia est de essencia substancie et similiter

---

7 quod] quia *B* 10 realiter *om B* 13 actualitate *B* 16 esset *B* 17 erit$_1$] est *B* 19 sequeretur B 20 seipsam] se *B* nichil] ullum *B* 21 racio est] racione *B* 27 sed] si *B*

[1] Godefr. de Fontibus Quodl. 3 q. 1 ed. Louvain 1904, II 164—166.

[2] Henr. Gand. Quodl. 1 q. 9 f. 11^r; Quodl. 10 q. 7 f. 111^r.

[3] Cf. Henr. Gand. Quodl. 1 q. 9 f. 10^v.

[4] Cf. Henr. Gand. l. c.

forma et eciam compositum ut humanitas est ipsa essencia. Ergo esse quod ponitur esse additum essencie est essencia vel aliquid ipsius essencie [1].

4. Preterea: essencia et esse se habent ad invicem sicut lux et lucere vel cursus et currere. Sed ista non differunt realiter. Ergo nec essencia et esse.

Alia est posicio magnorum doctorum [2] quod in creaturis composicio essencie et esse est realis, ita quod essencia et esse realiter differant. Et illa posicio videtur michi esse vera et necessaria precipue propter unam racionem quam adducunt, que necessario concludit: Quicquid enim non est de intellectu essencie illud facit realem composicionem cum essencia et differt realiter ab ea, si illud sit aliquid reale in eo, in quo est essencia. Nulla enim essencia potest intelligi sine illis, que sunt partes essencie. Sed omnis essencia creata potest intelligi sine esse. Possum enim intelligere humanitatem sine existencia actuali. Ergo esse, cum non sit de intellectu essencie, differt realiter ab essencia et facit realem composicionem cum ipsa.

Istam racionem quidam [3] conantur solvere et dicunt quod illud quod non est de intellectu essencie, si addat aliquid absolutum supra essenciam, tunc
M 194vβ differt realiter ab essencia; ‖ si autem non addit nisi respectum, non oportet quod realiter differat ab essencia, sed solum secundum intencionem. Nunc autem

---

2 esse$_1$] esse essencie *B* 2—3 esse additum essencie] additum *B* 9 differant] dicuntur *B* 10 precipue *om B* 14 si] sicut *B* 20 differt] dicitur *B*

[1] Cf. Henr. l. c.

[2] Aegid. Rom. Sent. l. 1 d. 8 q. 5 ed. Ven. 1492 sine fol.; Quaest. de esse et essentia q. 9—12 ed. Ven. 1503; Quodl. 1 q. 7 ed. Ven. 1502 f. 5v.

[3] Henr. Gand. Quodl. 10 q. 7 f. 154v.

esse nichil absolutum „addit super essenciam, sed tantum respectum ad efficiens essenciam. Non enim in se et absolute considerata dicitur essencia, sed considerata in ordine ad divinam essenciam, a qua procedit sub racione effectus vel inmediate per creacionem vel mediante agente naturali per generacionem. Sic convenit ei esse existencie, „non quod esse sit respectus vel suo nomine dicat respectum, ut dicunt, sed quod ipsa essencia, ut est sub tali respectu, est quedam existencia“ [1].

Sed isti relinquunt racionem omnino insolutam. Si enim esse non est respectus nec suo nomine dicit respectum nec eciam aliquid absolutum additum essencie, tunc oportet quod suo nomine dicat ipsam essenciam saltem sub aliqua racione. Si igitur accipiatur aliqua essencia specifica ut humanitas, que includit in sua racione omne illud quod est de essencia sua, necessario includet esse. Non ergo poterit intelligi humanitas, nisi intelligatur existens, quia non potest aliquid intelligi sine eo quod est de sua racione sicut non potest intelligi homo, nisi intelligatur animal. Sed manifestum est quod humanitas potest intelligi sine actuali existencia; non enim includuntur opposita, si dicatur humanitas non existens. Ergo existere non est essencia nec aliquid essencie, sed quiddam absolutum additum essencie.

Si dicatur quod essencia creata non habet ex proprietate nature sue, quod ipsa sit esse existencie, sed in quantum est effectus Dei, prout est Dei similitudo, et ideo potest essencia creata intelligi sine esse suo,

---

1 supra *B* essenciam] essencialiter *M* 2 non enim] enim *M* non *B* 12 est] sit *B* dicit] dicat *B* 14 ipsam] suam *B* 20 sine eo] nisi intelligatur illud *B* 22 quod] quia *B* 25 quid *B* 28 essencia *B*

[1] Henr. Gand. l. c.

a quo differt non sola racione, sed eciam intencione, quia istud esse suum est participatum [1]: ista verba nichil faciunt ad solucionem argumenti. Si enim esse non nominat aliquid absolutum additum nec nominat respectum, oportet quod esse conveniat essencie essencialiter, sicut animal convenit homini. Si enim neque est absolutum additum essencie neque respectivum, ergo nichil addit penitus supra essenciam, sed nominat istam essenciam absolutam sub aliqua racione alia et ita racio ipsius esse includetur in racione essencie, sicut racio animalis includitur in racione hominis. Et illo modo essencia quelibet ut humanitas participat esse, sicut homo participat animal et quelibet species participat suum genus, et per consequens essencia quecunque non potest intelligi non-existens, sicut homo non potest intelligi non-animal, quia inplicat contradiccionem.

Dicet forte aliquis quod esse inportat relacionem ad causam efficientem et ideo non est de intellectu essencie. Sed hoc est irracionabile, quia inter omnia, que conveniunt rei, esse est maxime absolutum; unumquodque enim prius est in se absolute in existencia actuali quam comparetur ad aliud. Omnis igitur relacio fundata in re presupponit esse tamquam quid absolutum.

Preterea ea que sunt in creaturis relativa, quando attribuuntur Deo, adhuc sunt relativa sicut pater et filius; que autem sunt absoluta in creaturis similiter sunt absoluta in divinis, ut iusticia, fortitudo et huiusmodi. Sed certum est quod esse in Deo est quid

2 verba tamen *B* 5 essencia *B* 9 istam essenciam] ipsam *M* 10 alia] absoluta *M* includitur *B* 13 participat$_2$] participabit *M* 16 potest *om B* 18 aliquis *om B* 22 absolute] alica *B* 24 tamquam] tam *M* 28 similiter] semper *B*

1 cf. Henr. Gand. l. c.

absolutum sicut essencia; unum est esse trium personarum sicut una essencia. Ergo esse in creatura non est relativum, sed absolutum.

Aliter eciam quidam[1] putant solvere predictam racionem dicentes quod essencia non potest intelligi sine esse, inmo esse includitur intellectu cuiuslibet essencie. Et ita respondent ‖ per interempcionem, B 132rβ cum dicitur quod humanitas potest intelligi sine esse actuali. Quamvis enim humanitas possit intelligi simplici apprehensione non componendo esse eidem, prout significat hec proposicio ‚Homo est vel humanitas est', tamen non potest intelligi humanitas simplici apprehensione, quin in illa simplici apprehensione includatur existencia, sicut in intellectu ‖ eius includi- M 195r
tur animalitas vel essencia.

Sed istud omnino falsum est. Esse enim in actu in rerum natura non significatur de aliquo nisi mediante hoc verbo ‚est' vel ‚existit', quod idem significat indicativo modo cum tempore presenti vel per participium suum sc. existens. Esse enim est actualitas cuiuslibet rei create; itaque non significatur in actu nisi dicatur quod ipsa est ut humanitas est vel dicatur existens ut homo existens. Si enim dicatur homo, non significatur essencia eius in actu, sed significatur tamquam indifferens ad esse actu et ad non esse actu. Si enim hoc nomen ‚homo' significaret existens actu vel esse actuale, hoc esset nugacio ‚homo existens' sicut hoc ‚existens existens'. Et hoc eciam esset inplica-

1 sicut] sic *B* 2 una] vera *B* 4 eciam] igitur (?) *B* 8 cum dicitur] ostendi *B* 9 enim *om* *B* 11 hec] sed *B* 13 quin] quando *B* 14 includitur *B* 16 enim *om* *B* 17 significat *M* 18—19 in indicativo *B* 21 rei] realis nature *B* itaque] ita quod *B* significat *B* nisi quod *B* 22 est *om* *M* 25 non ad *M* 26 in actu *B* 28 eciam *om* *B*

[1] Non inveni quis sub hoc nomine lateat.

cio contradiccionis ‚homo non-existens' sicut hoc ‚existens non-existens'. Sed manifestum est quod non est nugacio ‚hic homo existens' neque inplicantur opposita ‚hic homo non-existens'. Ergo existere non est de intellectu essencie hominis. Potest igitur homo intelligi sine esse actuali sicut et dici, prout homo intelligitur simplici apprehensione. Et ita ista responsio non valet.

Argumenta, que sunt adducta ad oppositum, non est difficile solvere. Ad primum dicendum quod, licet esse sit aliud ab essencia, tamen ens, prout est nomen, predicat ipsam essenciam sicut dicit Philosophus 4 Methaphisice[1]. Et ideo non sequitur quod res non sit ens per se formaliter, sed bene sequitur quod res non sit ens prout est participium existens nisi per aliquid quod est extra essenciam. Et hoc non est inconveniens. Tamen esse, quo essencia dicitur existens non est sic aliud ab essencia quod sit alterius predicamenti, sed est per reduccionem in eodem genere predicamentali cum essencia. Unde esse actuale substancie presupponitur omni suo accidenti.

Ad 2^{m} dicendum quod esse actuale formaliter est per seipsum, ita quod seipso denominatur existens. Sed non est eadem racio de essencia, quod ipsa dicatur existens per seipsam, quia esse est actualitas

---

1 hoc] homo *B* 2—4 sed — existens *om B* 7 ita *om B* 15 res *om B* 15—16 participium] per participacionem (?ppcı^{m}) *B* 17 tamen] cum *B* 20 predicamentali *om B* 22 omni] cum *B* 24 seipso] de ipso *B* nominatur *B* 25 est] *om B*

[1] Alludit ad Met. l. 4 (*Γ*) c. 2 1003b 26; versio lat. l. 4 co. 3: Idem enim unus homo et ens homo et homo. Aliter tamen explicat Thom. l. 4 lect. 2: Hoc nomen homo imponitur a quidditate sive a natura hominis et hoc nomen res imponitur a quidditate tantum; hoc vero nomen ens imponitur ab actu essendi.

essencie addita ei et non est actualitas respectu sui ipsius tamquam quiddam additum sibi ipsi. Et quamvis esse sit causatum sicut essencia, tamen essencia est causata tamquam participans, esse vero tamquam participatum; et quamvis essencia sit quedam perfeccio, tamen esse est maior perfeccio, maior actualitas.

Ad 3[m] dicendum quod ista divisio in substanciam et accidens est divísio entis, et eodem modo dividitur esse, quod est actualitas entis, sc. in esse substancie et esse accidentis. Esse autem substancie non est substancia neque materia neque forma neque compositum, sed actualitas substancie tam materie quam forme et compositi ad genus substancie pertinens et non ad aliud genus.

Ad 4. dicendum quod lucere [1] non solum inportat lucem nomine suo, sed eciam esse ipsius et per consequens aliquid realiter differens a luce. Et similiter currere non solum inportat cursum, sed eius esse, quod realiter differt ab eo, sicut esse differt ab essencia et quamvis lucere derivetur a luce grammatice loquendo, non tamen oportet quod omnino idem significent lux et lucere nec sapiencia et sapere nec ens et esse.

Hoc viso quantum ad primum quod sc. oportet ponere realem composicionem essencie et esse in creaturis videndum est de secundo sc. utrum propter creacionem salvandam oportet ponere istam realem composicionem. Et dicunt aliqui quod cum

---

2 additum] habitum *B* 3 creatum *B* 4 creata *B* tanquam] sicut *B* 10 quo *B* actualitas] accidens *B* sc.] sed *B* 13 tamquam *M* 14 et$_2$] quam *B* 16 lux *B* solum *om* *B* 17 lucere *B* 20 differt] distinguitur *B* 27 sc.] videlicet *B*

[1] Cf. Aegid. Rom. De esse et essentia q. 9 ed. Ven. fol. 20[v].

essencia sit possibile esse, cui possibili acquiritur esse actu per creacionem, oportet quod esse, quod acquiritur per creacionem, sit aliud secundum rem ab illo possibili, cui acquiritur. Alioquin nichil acquireretur per creacionem. Et ponunt exemplum de generacione, per quam acquiritur forma ipsi materie, que est in potencia ad eam. Nisi forma realiter differret a materia, nichil acquireretur per generacionem et tunc generacio non salvaretur, quia generacio non esset alicuius rei produccio. Similiter si ponatur esse et essenciam non differre realiter, creacio non erit produccio et ita non salvatur creacio.

Sed iste modus ponendi composicionem realem esse et essencie non est conveniens ad salvandum creacionem; imo iste modus destruit creacionem. In creaM 195rβ cione ‖ enim nichil presupponitur tamquam potenciale, quod per creacionem fiat in actu, qui actus sit aliud realiter a protenciali. Creacio enim est ex nichilo. In nichilo autem nulla est potencia. Non ergo creacioni presupponitur aliqua potencia, cui adquiratur actus. Sed in creato est tantum illud quod adquiritur per creacionem. Per hoc enim distinguitur creacio a generacione quod in generacione materia, que est quiddam potenciale, presupponitur in creacione autem nichil rei preexistit, sed totum quod est in re per creacionem est productum. Et ideo oportet videre, si alico alio modo creacio requirat realem composicionem esse et essencie, quia iste modus est repugnans racioni creacionis.

Advertendum est autem quod creacio est produccio rei a non-esse in esse sicut et generacio, dif-

---

7 eam] ipsam *B* 9 salvatur *B* 12 essencia *B* 14 ille *B* 15 ille *B* 17 potencia *B* 19—20 in creacione *B* 23 generacio a creacione *B* 28 ille *B* est repugnans] repugnat *B* 30 est$_1$ *om B* 31 in] ad *B*

ferenter tamen, ut iam dictum est. Et quantum ad hoc creacio differt a produccione, que est in divinis sc. a generacione filii et a processione spiritus sancti. Non enim procedit filius Dei a non-esse in esse, quia esse suum non est dependens ab aliqua causa, cum sit prima causa. Accipit enim filius a patre idem numero esse, quod pater habet, non aliud numero. Et ideo sicut esse patris non est dependens neque est ex non-esse vel ex nichilo, ita et esse filii. Ideo autem persona producta in divinis non procedit a non-esse, quia sua essencia est unum esse. Propter hoc enim non potest intelligi non esse et per consequens non potest produci a non-esse, quamvis accipiat esse. Quod enim producitur a non-esse in esse illud secundum suam naturam est indifferens ad utrumque sc. ad esse et non-esse et ita sua natura non includit esse. Illa ergo essencia, que non differt realiter ab esse, non potest esse producta a non-esse et per consequens non potest esse producta per creacionem. Et isto modo necesse est ponere essenciam creatam realiter differre a suo esse ad hoc quod salvetur creacio, que est produccio a non-esse et eodem modo oportet ponere hoc, ut salvetur generacio in rebus creatis.

Ad primum ‖ argumentum dicendum quod non B 132v
bene probat conclusionem, quamvis vera sit. Cum enim dicitur quod essencia creature non est necesse esse nec inpossibile esse, sed possibile esse, dico quod essencia creature, antequam creetur neque est necesse esse de se neque possibile esse de se. Sed est non possibile esse de se, quia est nichil. Alioquin creari

---

1 iam *om* *B* 2 alia *B* 8 sic *B* 9 vel *om* *B* productio *B* 10—11 a non-esse ad esse *B* 15 illud autem *B* naturam] materia *B* 16 et$_1$] et ad *B* 16—17 et$_2$—non$_1$] non vero *B* 28 esse$_2$ *om* *B* 31 est] cum *B*

non posset, cum creacio sit ex nichilo. Unde falsa est ymaginacio, qua aliqui[1] ymaginantur quod per creacionem esse inprimatur essencie sicut per generacionem forma inprimitur materie. Sed vera ymaginacio est quod tam essencia quam esse producatur per creacionem, essencia sc. determinati generis participans esse ab esse separato; quia alia modo esse multiplicari non potest nisi per diversa participancia. Unde ponere essenciam non differre ab esse est ponere tantum unum ens, quod est esse separatum, ita quod nichil aliud habeat esse.

Ad 2m cum dicitur quod esse producitur presupposita essencia respondendum est per interempcionem, quia non presupponitur essencia ipsi creacioni, sed producitur per creacionem in esse tamquam terminus creacionis et ambo sc. essencia et esse sunt unus terminus creacionis sicut in generacione forma et esse sunt unus terminus generacionis.

---

5 producantur *B* 14 ipsi creacioni] propter creacionem *M*

[1] Aegid. Rom. Quodl. 1 q. 7 ed. Ven. 1502 f. 5v.

Quaestio IX[a].

Queritur utrum creatura posset adnichilari, si non differrent in ea realiter essencia et esse. M 196r B 132v

Et arguitur quod sic, quia „in ipsa essencia possumus salvare potenciam et actum. Una enim et eadem essencia est respectu unius magis in potencia et respectu alterius actualior. Si igitur in ipsa essencia possumus salvare racionem potencie et actus, ipsa poterit adnichilari et creari“ [1], licet non sit realiter differens ab esse.

Contra „adnichilari idem est quod perdere esse. Sed essencia, si sit idem cum suo esse, non potest perdere esse, quia nichil potest perdere seipsum. Ergo essencia non potest adnichilari“ [2], nisi differat ab esse.

Responsio. Ista questio dependet ex questione precedente inmediate, et si consideremus diligenter ea que dicta sunt circa eam, apparebit quod creatura non posset adnichilari, si essencia eius et esse non differrent realiter. Ostensum est enim quod si essencia || et esse sint idem secundum rem, talis essencia non M 196v potest intelligi non existens, sed a quocumque intelligatur, oportet quod intelligatur existens de sua natura, circumscripto quocunque alio. Non ergo est intelligibile quod per aliquam causam producatur de non-esse

2 creatura] natura *B* 11 idem *om B* quod *om* B 12 si] cum *B* 14 differat essencia *B* 19 possit *B*

[1] Aegid. Rom. De esse et essentia q. 11, ed. Ven. 1502 f. 26v.
[2] L. c. f. 27r.

ad esse, quia tunc intelligeretur sua essencia non-existens quoddam, antequam produceretur, quod esse non posset, si esse de intellectu essencie esset. Quia enim racionale est de intellectu hominis, ideo si intelligatur homo, antequam producatur in esse, necesse est quod intelligatur racionalis. Sequitur ergo quod essencia, que non differt ab esse existencie, non potest produci ex non-esse vel ex nichilo, quia tunc intelligeretur sine eo quod est de eius intellectu et cum opposito eius quod est de suo intellectu; sicut si homo intelligeretur non-racionalis, ubi includitur contradiccio sicut hic ‚Homo non est homo', eodem modo includeretur contradiccio in intellectu cuiuslibet essencie. Si autem essencia non potest produci ex nichilo, eadem racione non potest cedere in nichil vel redigi in nichilum, quod est adnichilari. Si enim posset adnichilari, posset intelligi non-existens. Et ita existere in actu non esset de intellectu suo et per consequens esse esset aliud ab ipsa essencia.

Patet eciam ex hoc quod hoc includit contradiccionem sc. esse creature non differre secundum rem ab essencia. Si enim est creatura, potest produci a non-esse et potest redigi ad non-esse et per consequens potest intelligi sub opposito ipsius esse. Si vero esse eius non differt ab essencia, intelligere essenciam est intelligere esse in actu, ita quod non potest intelligi sub opposito ipsius esse et per consequens non potest produci a non-esse nec potest redigi in non-esse. Esse igitur creature non differre ab essencia includit ista contradictoria: posse produci a non-esse et non-posse produci a non-esse. Et similiter includit ista contradictoria: posse redigi ad non-esse et non posse

1 intelligitur *B* 6 est *om B* 9 eius] suo *B* 10 sicut] sic *B* 11 non intelligeretur racionalis *B* ibi *B* 12 est *om B* 20 includitur *M* 22—23 a non-esse ad esse *B* 24 ipsius] illius *B*

redigi ad non-esse, et similiter ista potest intelligi non-esse et non potest intelligi non-esse.

Et non solum secuntur ista inconveniencia sc. quod nulla res posset creari et quod nulla res possit adnichilari, sed eciam destruit ista posicio tam generacionem et corrumpcionem quoad substancias quam alteracionem et alias omnes produccciones quoad accidencia; quia secundum istam posicionem omnia erunt eterna et nichil poterit produci in esse per aliquam transmutacionem nec amittere esse, sicut ex dictis est ostensum. Eadem enim racio esset de omnibus rebus quod essent eterne et intransmutabiles et incorrumptibiles, que est de Deo, cuius esse non differt ab essencia. Ex hoc enim directe sequitur quod Deus sit eternus, incorrumptibilis, intransmutabilis; et idem sequeretur de omnibus essenciis, si esse earum non differret ab eis.

Sed dicunt aliqui[1] quod non est eadem racio de Deo et de aliis rebus, quia in Deo essencia et esse non differunt nisi secundum racionem tantum, in aliis autem non differunt sola racione, sed differunt secundum intencionem et ita plus quam secundum racionem, non tamen differunt realiter, sed medio modo inter differenciam secundum racionem et differenciam secundum rem.

Si autem ista verba examinemus, invenientur inpossibilia; inpossibile enim est quod sit aliqua differencia media inter differenciam realem et differen-

---

4 possit *B* 8 omnia *om B* 17 omnibus aliis *B* 17 differat *B* 21 differunt *om B* 25 alia *B*

[1] Henr. Gand. Quodl. 10 q. 7 f. 155[r—v]. Cf. Aegid. q. 12 f. 27[r]. Henricus f. 155[v] ita concludit: Baptizetur ergo ille modus medius et detur ei nomen, et si non competenter possit appellari differentia secundum intentionem, ut omnino idem sit differre intentione et ratione, detur ei aliud nomen. Fatuum enim est disputare de nomine, quando notum est de re.

ciam secundum racionem; inpossibile enim est quod res differt ab aliquo positive, nisi secundum quod habet aliquam realitatem. Essencia autem creature non habet esse nisi vel extra animam in alico supposito vel in intellectu, qui cognoscit eam. Ergo essencia creature non potest differre ab esse suo actuali nisi vel secundum illam realitatem, quam habet extra animam in suo supposito, vel secundum illam realitatem, quam habet in intellectu. Differre autem primo modo vocamus differre secundum rem; quod enim in re extra animam non est humanitas, illud differt realiter ab humanitate et facit composicionem realem cum humanitate, si sit in eodem supposito. Differre
B 132vβ M 196vβ autem 2^0 modo ‖ est ‖ differre secundum racionem tantum. Quando enim racio cognoscens rem unam sub diversis racionibus et illi rei secundum diversas raciones attribuit nomina diversa ut a et b, tunc a et b differunt racione tantum; quia nullam habent differenciam ex parte rei cognite, sed tantum ex parte intellectus, qui sub diversis racionibus rem congnoscat; v. gr. punctus continuans unam partem linee cum alia unum simplex est ex parte rei, sed ab intellectu consideratur sub diversis racionibus sc. sub racione principii et sub racione finis. Et ita principium et finis ibi differunt tantum secundum racionem. Similiter iste homo et illud animal demonstrato Petro non differunt nisi racione tantum, quia ex parte rei non est differencia, quia per eandem formam et eandem materiam est homo et animal, tamen apud intellectum habent raciones alico modo diversas. Et dico aliquo modo diversas, quia non sunt omnino diverse; racio enim hominis includit in se racionem animalis tamquam suam partem et pars et totum non sunt omnino

3 ab aliquo *om B* 4 aliam *M* 5 non] nullam *B* esse] realitatem *B* 9 autem a *M* 22 linee *om B* 23 simpliciter *B* 25 racione tantum *B* 26 demonstrando *B* 27 quod *B*

diversa nec omnino idem. Cum igitur essencia et esse creature nullam realitatem habent nisi vel in re extra animam, ubi non possunt differre nisi secundum rem, vel in intellectu habente istorum raciones, necesse est, ex quo non differunt tantum secundum racionem, quod differant secundum rem.

Si enim medio modo differunt oportet quod habeant realitatem, que neque sit in re extra intellectum neque in intellectu; quod est inpossibile, quia includit contradiccionem sc. quod idem sit alico modo et nullo modo ens. Quod enim neque est apud intellectum neque in re extra intellectum, illud nichil est sc. neque ens nature neque ens racionis. Quod igitur ponitur res et ens nichil est, et ita idem est aliquo modo ens et nullo modo ens; quod directe opponitur primo principio, quod est: Inpossibile est aliquid simul esse et non esse. Oportet ergo necessario dicere quod ubi non est differencia realis aliquorum, ibi sit tantum differencia secundum racionem et hoc sive racio unius includatur in racione alterius et non econtrario sive racio unius sit omnino extra racionem alterius. Utroque enim modo invenimus attributa in divinis differre secundum racionem tantum; potencia enim in Deo et omnipotencia sola racione differunt et tamen omnipotencia includit racionem potencie et non econtrario. Similiter generacio filii includit processionem filii et non econtrario; et sola racione differunt. Potencia tamen et sapiencia in Deo sola racione differunt et neutrius racio includit racionem alterius, sed excludit. Hoc pro tanto dico, quia aliqui[1] men-

4 in intellectu] intellectum *B* habente] habentes *M* habentem *B utraque lectio corrupta videtur* 6 quod] quam *M* 7 differant *B* 9 neque *om B* 10 sit ens *B* 13 ens racionis] non-ens *B* 18 est aliqua *B* 21 sit—racionem] omnino non sit de racione *B* 27—29 Potencia—differunt *om M*

[1] Henr. Gand. locis citatis

daciter fingunt quod, quando conceptus unius excludit conceptum alterius, tunc differunt intencione et non sola racione, sive excludat totaliter sive in parte. Hoc autem manifeste falsum est, quia tunc attributa omnia in divinis non different sola racione nec eciam aliqua res in mundo differret sola racione a seipsa, quia non possunt accipi alique due raciones eiusdem rei, nisi una racio excludat aliam vel totaliter vel in parte.

Preterea eo quod res est vel non est, est oracio vera vel falsa. Sed hec est falsa, ut dicunt[1], ‚essencia est suum esse' et hec denotat idemptitatem esse et essencie in re. Ergo in re extra animam non est ydemptitas essencie et esse. Ergo in re est differencia vel diversitas eorum et per consequens differunt secundum rem. Si autem dicas quod hec est vera ‚essencia est esse in abstracto', ut humanitas est esse, tunc uon poterit humanitas intelligi sine esse et secuntur inpossibilia multa superius adducta; esse enim erit de racione humanitatis et humanitas non potest intelligi absque hoc quod intelligatur id quod est de sua racione et ita non poterit intelligi nisi intelligatur existens, quod falsum est.

Ad argumentum dicendum quod, si essencia et esse in creaturis non differrent realiter, quelibet essencia esset purus actus et nulla essencia esset actualior quam alia nec per potenciam eciam divinam
B 133ra destrui posset creatura; ‖ quia ipsum non-esse includeret contradiccionem et nichil tale subiacet divine potencie quod contradiccionem includit.

1 excludit] concludit (?) non includit *B* 2—3 differunt—racione] non differunt sola racione, sed intencione *B* 5 differunt *B* 6 alia *B* differat *B* 9 est$_3$ *om B* 13—14 differencia] ydemptitas *B* 14 et *om B* 20 absque] sine *B* 24 non *om B* differunt *B* 29 concludit *M*

[1] Henr. Quodl. 1 q. 9.

123.2
Su 87
27335
SUTTON, THOMAS de, O. P.
AUTHOR Quaestiones de Reali Distinc
tione inter Essentiam et Esse
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	Corcoran
	STORAGE - CBPL

27335